






11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22



Index Opusculorum.

- 1) Jo. Henr. Cerchi de Diptychis veterum, et de Diptycho Card. Quirini, Diatriba.
- 2) Petri Pauli Juffi Specimen Observationum criticarum.
- 3) Jo. Hab. van Stek Suspicionum Specimen.
- 4) R. M. van Goens Observationes miscellaneae philologicae potissimum arguendi.
- 5) Jac. Frid. Heyfinger Emendationum Callimachiarum periculum
- 6) Judov. Kulan Kamp Specimen Emendationum et Observationum in Etymol. M.
- 7) Abrah. Kallii Specimen novae Editionis Sententiarum Theophrasti.
- 8) Jo. Conr. Fuchini Diss. de Herodote Annae Comerae
- 9) Jo. Matth. Geisovii de Philopatre Luciano dialogo nova Dissertatio. Specimina III.
- 10) Jo. Christoph. Gottlebeni argumentorum aliquot in Plat. Phaed. de animi immortal. Dissertatio.
- 11) Jo. Jac. Keiskii Diss. de Optimo Episcopo ex Libano.
- 12) Quid. Diss. de Zenobio Sophista Antiocheno, ad Joanni Ep. 407.
- 13) Dav. Henr. Godofr. de Tilgman Diss. de vitis tragoediarum senecae.
- 14) Jo. Jo. Meusel de Lucani Pharsalia.
- 15) Jo. Bened. Carpzovii de Sacris Carnae et de Apolline Carnae Commentarius.
- 16) Frid. Lem. Bock de Sacris veterum Graecorum militaribus.
- 17) Jo. Floderi Diss. de Ate Homericæ.
- 18) Quid. Observationes in Theocritorum Virgiliti imitationem.
- 19) Quid. Diss. de more veterum sacra facienda in versibus 20) Quid. de more veterum oratio  
solvendi in festis
- 21) Jo. Just. Flodin Explicatio Paedorae Hesiodicae.
- 22) J. A. Starckii Diss. de Aechylo 23) J. B. K. Consiliens de clauda Hephalo.



DE  
 DIPTYCHIS VETERVM,  
 ET DE  
 DIPTYCHO  
 EMINENTISSIMI QVIRINI,  
 S. R. E. CARDINALIS, BIBLIOTHECARIII APOSTOLICI,  
 EPISCOPI BRIXIENSIS,  
 DIATRIBE.

---

LIPSIÆ,  
 APVD JOH. FRID. GLEDITSCHIVM.  
 A. MDCCXLIII.

*Handwritten signature*



KÖNIGL.  
UNIVERS.  
ZVHALLE





# LECTORI

JOH. HENRICVS LEICHIVS, LIPSIENSIS.



Cum sacra purpura, variaque & copiosa doctrina Eminentissimi QVIRINI Epistola ad CLAVDIVM DE BOZE, qua Doctorem Virorum de Diptycho eburneo, quod olim PAULI II. P. M. fuit, jam vero in Vaticana asservatur, judicia continentur, Lipsiam, ad celeb. MENCKENIVM transmissa, & eruditis, qui in bibliotheca hujus urbis publica de rebus scitu dignissimis differere solent, proposita fuisset: variis in medium sententiis prolatis, tandem in eo convenerunt, has tabulas neque Consulare Diptychum esse, neque ad remotam illam aetatem referri forte debere. Quorum ego conjecturam apud animum perpendens, quae de veterum Diptychis WILTHEMIVS & BVONAROTTA doctissime commentati sunt, studiose legi, eorum-

) 2

que



que observationibus addi nonnulla posse, deprehendi. Unde haec Diatribe enata est, in qua id operam dedi, ut, quae, post aliorum curas, ad rarissimas illas veteris aevi reliquias illustrandas, & ritus Consulium, post Constantini tempora, declarandos facere videbantur, breviter & quasi per saturam lancem proponerem. Plura & doctiora GORIVS, antiquariorum nostrae aetatis facile princeps, dabit, a quo absolutissimum Diptychorum editorum & ineditorum Syntagma, suis aliorumque notis illustratum, Eminentissimus Purpuratus sperare nos jubet. In quo non omittet ille eruditam de hoc argumento commentationem, quam, GABRIELE Cardinali PALEOTTO hortante, eximius Vir, JOHANNES BAPTISTA CARDONA, Episcopus Dertofanus, anno, supra millesimum & quingentesimum, octogesimo septimo, Tarracone vulgavit. Caeterum has nostras conjecturas non pertinaciter tuemur, sed Eminentissimi QVIRINI, qui, ut eruditos oculos habet, certissimam de illis tabulis ferre sententiam potest, acri gravique judicio unice permittimus. Lipsiae Cal. Maji,

A. clb lccc xliii.

SECTIO



SECTIO PRIMA.  
ANALECTA DE DIPTYCHIS  
CONSULARIBVS.

I.

*Varia vocis acceptio. Δίπτυχα ποιῆν in sacris. Δίπτυχον Vestis genu. Pugillares, anno ineunte inter strenas missi. Consularia Diptycha, quae haecenus immouerunt.*



Duplicia veteres, ad originem vocis respicientes, Δίπτυχα appellasse, ea tamen varie usos esse, deprehendi. Cum sacra facientes, excissas e victimis coxas, & omento involutas, aris imponebant, δίπτυχα ποιῆν, Eustathio <sup>a</sup> teste, dicebantur. Δίπτυχα ποιῆντες, inquit, ἤγγεν δίπλωμα, τῆ πρὸς ἀλλήλους ἐπιπέσει τῶν μηρῶν, ἢ μάλις διπλῆντες ἐν αὐτοῖς τὴν κίσσαν. Bisariam facientes, seu dupliciter, alterna scilicet coxarum impositione facta, seu potius duplicantes in ipsis omentum.

Porro vestem fragulam duplicem δίπτυχον vocari, e Suida discimus. Quo sensu Theocritus <sup>b</sup> eo loco, ubi pompam Adoniorum describit, καταπτυχὲς ἐμπερόνημα, foeminae vestem, fibulis adstrictam, dixit, atque huc narrator δίπλακα μαρμαρέην ex Homero refert. Ita quoque Apollonius <sup>c</sup> crassio rem Amyci, Bebrycum

A

a) Ad Il. A. v. 461. & Odyss. Γ. v. 456. c) Argonaut. Lib. II. v. 32.  
b) Idyll. 16. v. 34.

cum tyranni, laenam *δίπτυχα λάπηνη* appellat, quod imitatus Virgilius per *duplicem amictum* expressit.

Deinde a Graecis et Latinis, non optimorum tamen temporum, ad pugillares, binis tabulis, filo connexis, constantes illud nomen translatum est, sicut, qui plura folia continebant, *τρίπτυχα*, *πολύπτυχα*, dicebantur. Eorum figuram antiquus lapis, a cl. Boldetto <sup>d</sup> editus, omnium optime exhibet. Erat autem apud veteres usu et consuetudine receptum, Diptycha ex ebore aut buxo, eleganter caelata, anno ineunte, cum aliis strenis ad amicos mittere, quo Seneca <sup>e</sup> respicit, cuius verba *in Epistolis* haec sunt: *Pugillares & caricae quotidie novum annum mihi faciunt.* Certe Consulum, qui novum annum aperiebant, mos, eburneas tabulas, vultu ac titulis suis splendentes, Senatui aliisque offerendi, non aliunde traxisse originem videtur; licet, qua primum coeperit, aetatem, veterum scriptorum praesidio destituti, indicare nequeamus. Diptychorum enim, quae de pluribus adhuc supersunt, vetustissimum est, quod STILICONIS a Ducangio <sup>f</sup>, aliisque creditur: quippe pars, nomen Consulis insculptum praefrens, aut temporis culpa, aut negligentia hominum, periit. Sequitur FL. ASTERIVS, (sive is A. CCCCXLIX. cum PROTOGENE Cof. fuerit, ut Wilthemius <sup>g</sup> statuit, sive anno demum CCCCXIV. ut Sirmondo <sup>h</sup> visum est,) cujus nomina & dignitates ex Leodiensi diptycho innotuerunt. Huic aetate proxima feruntur, tum Commodoliacense <sup>i</sup> FLAVII FELICIS, A. DXI. SECUNDINI in consulatu collegae, tum Leodiense & Bituricense ANASTASII, Cof. A. DXVII. doctif-

- d) Osservaz. sopra i Cimiteri de SS. Mart. p. 332. h) Not. ad Ennodii Lib. I. Ep. 24. Cf. Noris. ad Cenot. Pisana, Diss. IV. p. 438. sq.
- e) Epist. LXXVII. i) Banduri Imp. Orient. p. 492. ex Mabillonii Annal. Ord. Bened. T. III.
- f) Gloss. Graec. v. *Δίπτυχον*.
- g) App. ad Dipt. Leod. p. 2.

(III.)

doctissimis Wilthemii commentariis illustrata. Noricum, a cl. Schwartzio<sup>k</sup> nuper editum, FL. TAURVM CLEMENTINVM, occidentis A. <sup>DXXIX.</sup> consulem exhibet: ad quem fragmentum, a Ducangio<sup>l</sup> e bibliotheca Regia erutum, quoque referri debere, cum illi alteri, & artificio, & forma, simillimum sit, fere inducor, ut credam. Compendiense<sup>m</sup> PHILOXENVVS, qui A. <sup>DXXV.</sup> consulatum obtinuit, sculpendum curavit. Duo BASILII, sub Justiniano A. <sup>DXL.</sup> eadem dignitate functi, diptycha ill. Buonarotta eruditissime explicavit.<sup>n</sup> De Brixiano<sup>o</sup> BOETHII, & ejus actate infra data opera disputabo.

II.

*De Veste Consulium. Fuit eadem, quae triumphantium. Ipsam consularem processionem triumphum posteriori aetate dictam esse, scriptorum testimoniis ostenditur. Consularis amictus Trabea vocatur & Abolla. Salmasius contra Ferrarinum defensus. Fascia consularis, Lorum dicta a scriptoribus Byzantinis. An Chlamys Coss. a trabea distinguenda sit, disquiritur, & de Chlodovei, Regis Francorum, consulatu nonnulla obiter adduntur. De Volumine, Mappa & Acacia, Coss. insignibus. Num inter consularia ornamenta Nimbus referendus? De Calceis Coss.*

His in tabulis Consulem omnibus ornamentis, quae amplissimae dignitati tributa sunt, excultum cernimus. Insidet sellae curuli, altera manu scipionem, mappam circensem altera tenet, in parte inferiori aut ludorum, in consulatus auspicii editorum, memoria, aut munerum, quibus praeerat, insignibus expressis. Veste indutus est floribus intexta, quae haud alia, quam toga picta & palmata triumphantium, *σολή ἐπιτίμιος* Dioni dicta, esse videtur; quanquam laxior illa & fusior, haec magis corpori adstricta esset. Cum enim triumphii honorem, quo nullus florente republica

A 2

augu-

k) Altdorffii 1742, 4.

l) Diss. de Num. inf. aevi, IV.

m) Banduri l. c.

n) Sopra tre Dittici d' Avorio. Conf. Lettere del Card. Noris p. 30.

o) Giorn. de Lett. T. XXVIII. Art. II.

( IV. )

augustior fuerat, adeo, ut Jovis, maximi deorum, repraesentare majestatem videretur, Imperatores successu temporis sibi solis arrogarent, triumphalia tamen ornamenta Consulibus tribuerunt. Quod Cassiodorus innuere puto, cujus in *Formula Consulatus*<sup>a</sup> verba haec sunt: *Priscorum judicio qualis sit consulatus, hinc omnino datur intelligi, quando, inter mundi dignitates eximias, solus meruit habere palmatas vestes, quae felicitas praemia vincentibus dabit: & quibusdam interjectis: Palmatae siquidem vestrae nostrae probantur esse victoriae: iterum: Rem victoriarum agitis, qui bella nescitis.* Atque hinc lucem accipiunt horum temporum scriptores, processionem consulum *triumphum* appellantes; sicut Graeci contra inferioris aevi, teste Eustathio<sup>b</sup>, *προέλευσιν* vocarunt, quam antiqui *θείαμβον* & *πομπήν*. Cassiodorus<sup>c</sup> hic iterum mihi ad partes vocandus est, qui, cum roboris aut fortunarum, in conferendis officiis, rationem habendam nullam esse, docuisset, pergit: *multis facultas sua non sufficit ad triumphum.* Ita quoque de consulatu Theoderici Jornandes in *Geticis*<sup>d</sup>: *Zeno de suis stipendiis triumphum in urbe donavit, factusque est Consul ordinarius.* Ennodius in epistola, qua fasces Boetio gratulatur<sup>e</sup>: *Noster candidatus post manifestam decertationem, debitum triumphum, dum nunquam viderit bella, sortitur.* Nec aliam ob causam munerera, a Consulibus in vulgus sparsa, *triumphalem largitionem* Boetius<sup>f</sup>, scipionem eorum, *victorialem* Cassiodorus<sup>ff</sup>, Corippus<sup>g</sup> sellam curulem, *triumphalem* appellavit.

Vestem porro, unde haec pluribus exponendi, occasione nacti sumus, purpuream trabeam & acu pictam scriptores vocant, eaque

a) Var. Lib. VI, 1.

b) ad II. I. p. 762.

c) Var. Lib. VI, 10.

d) Cap. LVII.

e) Lib. VIII. Ep. I.

f) In Consol. Philosoph. Lib. II. Prof. III.

ff) Lib. VI. Epist. I.

g) De laudibus Justini Imper. Lib. IV. v. 107.

eaque tum Imperatores, tum Consules, utebantur. Cujus moris locuples prae caeteris testis Mamertinus <sup>h</sup> est, qui, Juliano Augusto comitante, Consul processit: *Nos ad curiam solennia hujus diei senatusconsulta ducebant, itaque se comitem statim praebet, & utrumque latus Consularis praetextatis rectus incedit, non multum differens a magistratibus suis, & genere & colore vestitus.* De Justino Imperatore & Consule Corippus <sup>i</sup>:

*Ipse autem Consul, sacro diademate fulgens,  
Ornatus trabea, gemmis, ostroque, nitebat.*

Athalaricus, Rex Gothorum, Paulinum Senatui commendans <sup>k</sup>: *Juventus ejus, inquit, quae fulget meritis, trabea quoque resplendet triumphali.* Eam Prudentius <sup>l</sup> *abollam* vocat:

*Olybriaci generisque & nominis heres,  
Adjectus fastis, palmata insignis abolla.*

Ex quo simul loco, Salmasium, quod senatorium habitum *abollam* interdum a scriptoribus dici, affirmaverit, immerito a Ferrario <sup>m</sup> notari, neque de solo militum & cynicorum amictu vocem illam accipi a veteribus, apparet.

Palmatae & pictae Consulium, in diptychis, ut in Bituricensi, & caeteris, fascia acu variata superinjicitur, quae dextrum humerum ambiens, ad crura descendit, deinde sinistrum involvens, delabitur in dorso, & circum pectus imamque sinistri brachii partem funditur. In antiquis picturis, a Blanchino <sup>n</sup> editis, duo magistratuum Romanorum concilia, quorum praefes, seu princeps, a reliquis ornamento simili distinguitur, conspicimus, quod ille quidem latum clavum, purpura contextum, & orae togarum adfutum, esse arbitratur. Postea, cum populus Romanus Chri-

A 3

sto

h) In Graciar. Act. c. XXIX.

i) Lib. IV. v. 243.

k) Calliod. Lib. IX. epist. 23.

l) Contra Symm. Lib. I. v. 555.

m) De re vestiar. Lib. II. c. 12. p. 166.

n) Proleg. ad Anastas. T. I. p. XXVII.

sto vindicatus esset, vestem illam majoribus sacrorum antistitibus concessam, & *pallium* vocatam esse, veterum monumentorum fide compertum habemus °, deque illa consuetudine multo nobis certius constaret, si opus de sacro vestitu, a Blanchino congestum, prodidisset. Fasciam illam *omophorium* & *subarmalem profundum* horum temporum scriptores nominant, nec audiendus est Ferrarius<sup>p</sup>, qui Wilthemium, fufius haec explicantem, abesse a vero, & Flavii Anastasii Cos. in Diptychis Leodiensi & Bituricensi, amictum ad nullum vestium genus propius, quam ad chlamydem, accedere, contendit. Eam inferius aevum, quod lori, seu cinguli, formam referret, *Lorum*, ut praeclare animadversum est a Ducangio<sup>q</sup>, vocavit, fuitque solenne, cum Imperatorum orientis, tum supremorum Palatinorum ornamentum, ut e vetere Nicephori Botaniatae pictura, in Graeco quodam codice bibliothecae Coislinianae<sup>r</sup>, apparet.

A trabea & loro meo iudicio *chlamys* plane diversa est, quae totum corpus ambiens, ad dextrum humerum fibula colligebatur, & qua posterioris etiam aetatis Imperatores utebantur. De Justino Corippus<sup>s</sup>:

*Substriſtoque ſnu veſtis divina pependit,  
Poplite fuſa tenus, pretioſo candida limbo,  
Caefareoſque humeros ardenti murice textit  
Circumfuſa chlamys.*

Anastasium, auctor est Anonymus Valesianus<sup>t</sup>, ad Justinum quem sibi successorem in imperio fore, certis indicibus cognoverat, cum forte in publica pompa chlamydem ejus calcasset, conſternatum

o) Ducangius in diss. de inferioris aevi numis. VII.

p) Analect. de re vestiar. cap. XVIII. p. 62.

q) Diss. de infer. aevi numis. VI. & in utroque Glossario.

r) Biblioth. Coislin. p. 134.

s) L. II. v. 123. l.

t) p. 512.



( VII. )

natum animo dixisse, *quo festinas?* Justinianum quoque, ea indutum, antiqua tabula Mosaici operis Ravennatenſis <sup>u</sup> exhibet. Quanquam vero chlamydem Imperatoribus propriam fuiſſe, his inductus argumentis, aliquis conſpicere poſſit, idque ex Corippi verbis, quae adducta a nobis proxime ſequuntur, manifeſte colligatur: dubium tamen non eſt, eam Conſulibus & forte aliis etiam magiſtratibus permiſſam fuiſſe, cum Flav. Felicem, ea veſtitum, in Comodoliaceniſi Diptycho cernamus. Chlodoveum quoque Francorum Regem, cum, devicto Alarico, codicillos conſulatus ab Anaſtaſio Imperatore accepiffet, in baſilica B. Martini, tunica blattea & chlamyde indutum eſſe, Gregorius ſcribit <sup>x</sup>, atque hoc ornatu in veteri ſtatua baſilicae S. Germani Pratenſis <sup>y</sup> conſpicitur. Niſi forte haec Patriciatuſ tantum inſignia ſunt, cum apud Caſſiodorum, in Conſulatus formula, nulla chlamydis mentio appareat. Hanc enim Regi dignitatem ab Anaſtaſio collatam eſſe, Henricus Valeſius <sup>z</sup>, & Antonius Pagi <sup>a</sup> Aimoini quodam loco, ubi eum tantum Patricium dictum eſſe, memorat, commoti negant. Sed videant eruditi, an Gregorii teſtimonium iure in ſuſpicionem adducatur, & an miſſilia, Turonis a Chlodoveo in vulgus ſparſa, ſcipio, cui aquila inſidet, quem ad conſularia ornamenta pertinuiſſe <sup>b</sup> novimus, fascia denique operis Phrygii, quae in eius ſtatua conſpiciuntur, Patriciorum notae ſint & inſignia? Ipſe Aimoinus <sup>c</sup>, cum Conſulem & Auguſtum nuncupari meruiſſe affirmat, quare maximis viris praefidium in hoc auctore nullum eſt. Deinde Regis Theoderici exemplum nihil ad illam ſententiam confirmandam valet, quem licet Patricium a Zenone

u) Ap. Alemann. ad Procopii Anecd.

p. 146.

x) Hiſt. Franc. Lib. II. c. 38.

y) Monum. de la Monarch. Franc. T.

I. p. 55. pl. VII.

z) Lib. VI. Rerum Francic.

a) Proleg. ad Diſſert. Hypat. IX.

b) Wilthem. ad Diptych. Leod. C. IV.

p. 14.

c) Lib. I. cap. 22.

( VIII. )

Zenone Imp. creatum esse, Athalaricus dicat, non minus tamen certum est, consulatum cum illa dignitate conjunctum fuisse. Evolvantur Procopius, Iornandes, Marcellinus Comes, aliique. Unum modo discrimen inter utrumque Consulem intercedere videtur: Theodericus ordinarius fuit, Chlodoveus tantum honorarius. Id omnium optime ex fastis, in quibus ille memoratur, hic omittitur, cognosci potest.

Sed redeo ad Diptycha. Consul in iis expressus, dextra aut circensium mappam, ut in Leodiensi, aut volumen complicatum, ut in alio Asterii gerit, quale in numis quoque Imperatorum posterioris aetatis, & reliquis Coss. quas aut sarcophagi<sup>d</sup>, aut vitra antiqua<sup>e</sup> servarunt, imaginibus occurrit, & Consulares nonnullis codicillos, aliis insigne dignitatis denotare videtur<sup>f</sup>. Habet utraque sententia magnam veritatis speciem, mihi tamen persuasissimum est, Imperatores Christianos eo volumine nihil aliud, quam sacrum evangeliorum codicem, qualem in ipsius Servatoris ac legatorum ejus manu vetera monumenta exhibent<sup>g</sup>, indicare, seque professionis Christianae defensores ac vindices esse, ostendere voluisse. Quare nullo jure Baronium, quod in numo Theodosii sanctum codicem expressum esse, contendat, Gretserus<sup>h</sup> reprehendit, qui ipsum pro *acacia* habet, purpureo panno confuto, arenae pleno, ab Imperatoribus<sup>i</sup> orientis solennibus diebus gestato, ut homines se, & eo quidem magis fortunae vicibus obnoxios, quo minus illas in tanto gloriae fastigio timerent, hoc signo admoniti, recordarentur.

Consulare capitis ornamentum nulla nobis diptycha servarunt, e consularibus tamen numis, quae forma eius fuerit, conjectura

d) Montfauc. Ant. Expl. Suppl. T. II.

g) Aringhi Roma subterr. Lib. II. c. IV.

e) Framm. di Vetro T. XXXIII, 4.

h) Not. ad Codin. p. 221.

f) Ducangius in dissert. cit. XII. XIII.

i) Codin. de Offic. c. VI. n. 26.

( VIII. )

jectura adsequi possumus. Fuit scilicet fascia diademati similis, unde ab utroque latere vittae dependebant, qua Imperatores quoque post Constantini aevum, donec a Justiniano, barbaros Reges cultu habituque imitante, mutaretur, constat usos esse. Scriptores eam *consularem* & *curulem infulam* appellant<sup>k</sup>. Caeterum quod doctissimus Ducangius<sup>l</sup> nimbium, quem Augustorum capita in numis ambire videmus, Consulibus quoque, ut eorum illustrior dignitas esset, permissum fuisse, censeat, non extra omnem positum dubitationem videtur. Certe id ex Mamertini verbis, ab eo allatis, haud fatis tuto colligitur, quae in *panegyrico, Maximiano dicto*<sup>m</sup>, haec sunt: *Trabae vestrae triumphales, & sellae curules, & haec obsequiorum stipatio, & fulgor, & illa lux divinum verticem claro orbe complectens, vestrorum sunt ornamenta meritum.* Dudum enim Livinejus<sup>n</sup> haec de corona radiata, quae in numis Imperatorum aliquot, atque adeo ipsius Maximiani conspicitur, accipienda esse, observavit. Neque in diptychis, quae Cos. omnibus dignitatis insignibus conspicuum sistunt, maximum illud, quod solis splendorem referre credebatur, omissum fuisset. In Leodiensi enim ejusmodi Anastasio Cos. ornamentum, non aliam videtur ob causam tributum esse, quam quod Imperatorem ejus nominis, ut ab ipso Ducangio<sup>o</sup> erudite animadversum est, arcta necessitudine attingeret. Nam in antiquis picturis<sup>p</sup> non orientis solum Imperatores, sed Augustae etiam, & filii, tenerioris aetatis, nimbo illo coruscant.

Calcei, quibus Consules indutos Diptycha repraesentant, aurati fuere. Cassiodorus<sup>q</sup>: *lares proprios calceis auratis egredere.*

B

Eorum

k) Cassiodorus Lib. II. epist. I. Conf. L. XII. C. de Consul.

l) Dissertat. citat. XV.

m) Cap. III. p. 79.

n) Not. ad h. l.

o) Famil. Byzant. p. 85.

p) Loc. cit. p. 139. 242.

q) Var. VI. I.

Eorum tamen forma non eadem in omnibus apparet. In Leodiensi enim fasciis decussati sunt, in Brixiano Boetii & Florentino Basili<sup>r</sup> lacinae utrinque dependent. Chlodovei Regis calcei, in vetere statua, ut Montfauconius<sup>s</sup> observavit, superne excisi sunt, ita, ut pedum modo articulos tegant, iis, quibus Consul in antiquo calendario bibliothecae Vindobonensis apparet, omnino similes. A Chlodoveo forte Francorum Regum consuetudo, calceos auratos gestandi, repetenda est, de qua Monachus Sangalensis<sup>t</sup>: *Calcei, inquit, antiquorum Francorum forinsecus aurati, corrigiis tricubitalibus insigniti erant.* Patriciorum contra calcamenta, ut hoc obiter addam, ex serico fuisse, Cassiodorus<sup>u</sup> docet: *Pinxit suras sericis calceus iste Romanus:* ita enim locum illum ex vetere libro Petrus Pithoeus<sup>x</sup> emendavit.

III.

*Locus ex CONSTANTINI PORPHYROGENITI opere de Ceremoniis Aulae Constantinopolitanae inedito erutus, quo ea, quae de ornamentis Consulum haecenus allata sunt, uberius declarantur.*

Cum de habitu & caeteris Consulum, insignibus, post eruditae clarissimorum virorum curas, commentari instituissem, commodum accidit, ut praestantissimum CONSTANTINI PORPHYROGENITI opus de *Ceremoniis Aulae Constantinopolitanae* evolverem. Eum codicem, nondum editum, qui olim ad Matthiae Corvini splendidissimam bibliothecam pertinuit, nunc publica huius urbis, inter plurimos vetustissimos ac praestantissimos libros, servat. Locus autem ille, ex *libro secundo* depromtus, cum plane eximius sit, nostrasque conjecturas, haecenus expositas,

r) Buonarotta p. 250.

s) Mon. de la Mon. Franc. T. I. p. 53.

t) De cura eccles. Caroli M. L. I. c. 30.

u) Var. Lib. VIII. ep. 9.

x) Advers. subsec. Lib. II. c. 16.

y) fol. 215. a.

positas, egregie illustret, & ab iis mutuo illustretur, dignus prae caeteris visus est, quem Latine conversum, huc transcriberemus. Agit Imperator de vestibus, in sacrae resurrectionis solennibus, tum ab Augusto, tum a Palatinis Officiis gestandis, simulque de moribus horum temporum, eorumque origine, multa hactenus ignota attingit.

## ΚΕΦ. Μ.

Περὶ τῆς τίνι τρόπῳ τῆς ἀγίας καὶ μεγάλης κυριακῆς τῆς πάσης περιβάλλοντα τῆς λώρης, ὅ, τῆ βασιλεὺς, καὶ οἱ μάγιστροι, καὶ ἀνθύπατοι καὶ πατέριοι.

**Ε**μὲν τῶν καθ' ἡμᾶς νοημάτων τῆς εὐσεβείας, καθὼς ὁ ἐμὸς λόγος, ὑποτυπώσομαι. Τὸ μὲν περιβεβλησθαι λώρης τῆς μαγίστερος καὶ πατερίως ἐν τῇ ἑορτασίμῳ ἡμέρᾳ τῆς ἀναστάσεως Χριστοῦ, τῆς Θεῆς ἡμῶν, εἰς τύπον ἡγάμεθα τῆς ἐνταφιασμῶν αὐτῆς, τὸ δὲ κεχρυσῶσθαι αὐτῆς, εἰς ταύτης λαμπρότητα, ἡλιοβολημένους ἐξ ἡλίου Χριστοῦ αὐτῆς τῆ ἐγένεσσι. Αὐτῆς τε τῆς μαγίστερος καὶ πατερίως ἐν τῷ κρηματίζεσθαι τῶν ἀποστόλων τὸν δὲ Χριστὸν βασιλέα, κατὰ τὸ ἐφικτὸν ἀναλογητὰ Θεῶν, διὸ καὶ τὰ κατὰ τὸν ἐπιδήμιον λόγον λεγόμενα ἀσκεπαῖα

## CAP. XL.

*De eo, quomodo in sancta & magna Dominica Paschatis, tum Imperator, tum Magistri, Proconsules & Patricii loris induantur.*

**Ex** pietatis nostrae meditationibus, quantum adsequi fermone possum, perscribam. Quod Magistri & Patricii in festo die resurrectionis Christi, Dei nostri, loris induantur, ad indicandam sepulturam ejus, quod autem aurata illa sint, ad splendorem diei significandum, cum a resurrectione Christi, quasi a sole irradiantur, fieri putamus. Ipsos vero Magistros & Patricios Apostolorum Regem, Christum imitari, Deo omnino similem; quare & sceptra, quae vulgari fermone

( XII. )

mone ἀσμεπαῖα vocamus, scopum habent, ut victorialibus symbolis referant, quae de Christi resurrectione a mortuis, atque ad similitudinem \* crucis, per quam contra infernum Christus tropaeum erexit, memorantur. Quod *Acaciae* tomos (*chartas*) ut vernacula lingua vocat, suis manibus ferant, non ita vere se habet, sed quoniam Servatoris discipulis ipsique Regi, quoad salutarem legum constitutionem similes sunt Patricii, Tomos, quibus ipsae inscriptae, gestant. Quod crura lineo tegmine aurisque calceis vestiant, hoc ipsum & mortalitatis, & splendoris signum est. A Romanis autem moribus originem ducit, quod lo-  
ris Patricii cingantur, ad normam veterum Consulium, & praecipue sequentium Imperatorum, certis

σκοπὸν ἔχεν, ἐντετυπῶσθαι συμβό-  
λοις ἐπινίκιαις, ἃ κατὰ τὴν ἐκ νε-  
κρῶν ἔγερσιν τῆ Χριστοῦ καὶ εἰς ἀφο-  
μοιώσιν τῆ σταυροῦ λογισθῆσονται, δι-  
ὅτι τὸ κατὰ τῆ ἀδελφῆς ὁ Χριστὸς τρέπαιον  
ἤρατο. Τὸ δὲ ταῖς χερσὶ κρατεῖσθαι  
παρ' αὐτῶν ἀνεξικακίας τόμος (χάρ-  
τας) καθὼς ἡ ἐγχώριος καλονομάζει  
Φανή, ἔχει ἕτως ἔχει τὸ ἀληθές, ἀλλ'  
ἐπειδὴ τῆ σωτήρος ταῖς μαθηταῖς  
εἰκόσιν δῆθεν οἱ πατρικιοὶ, καὶ αὐτῶ  
τῶ βασιλεῖ, κατὰ τὴν σωτηριώδη νο-  
μοθεσίαν αὐτῶν τόμος κρατεῖν ταύ-  
την ἐγγεγραμμένως. Τὸ δὲ τὰς κνή-  
μας λιπῶ ἐσφινῶσθαι ἀμφὶ μετὰ  
καὶ χρυσομένω πεδῆλων, ταυτὸ τῆ-  
το καὶ νεκρότης, καὶ λαμπρότης.  
Ἐκ δὲ τῶν ρωμαϊκῶν παραδόσεων τό-  
τε τὰς πατρικίας ἐπιημφέσθαι λώ-  
ρης, εἰς τύπον τῶν παλαιῶν ὑπά-  
των, καὶ μᾶλλον τῶν μετέπειτα βα-  
σιλέων, κατὰ τινὰς διορισμένους και-  
ρὸς ἀρχιερατικῆν ἀξίαν ἀνηρημένων, τὸ  
σχῆμα

\* In solennibus enim pompis crucem Imperatores manu gestabant, ut ex antiquis picturis Michaëlis & Andronici Palaeologi apud Lambecium, & Goarum ad *Eucholog. Graec. p. 726.* apparet. Constantinus L. I. c. 1. f. 29. b. λαμβάνουσιν ἐν μὲν τῇ δεξιᾷ χεὶρὶ τὴν ἀσμεπαῖαν, ἐν δὲ τῇ ἑνω-

νύμῳ τὰς ἐκ λίθων καὶ μαρμαρίων ἡμ-  
φισμένους σταυροὺς. Moris ejus au-  
ctor Constantinus M. fuit, qui  
aquilis, e bellicis labaris sublati,  
crucem substituit, cujus deinde pos-  
steri, sceptrā sua ea ornantes, aquil-  
as consularibus scipionibus permi-  
tere.

( XIII. )

σχῆμα εἶναι, οἱ καὶ ὡς βασιλεῖς  
πραγματικῶς ὄντες χρονοκράτορες, ὧν  
ἐκαστος, ἕως ἐνὸς ἡγεμονίαν κληρέμε-  
νος, ἐν πολέμοις ἠΐθετο, ὧν μετὰ τὴν  
συμπλήρασιν ἐπιδεδημηκῶς παρὰ τῶν  
ὑπάτων διηρυνᾶτο, πῶς τὰ τῶν  
πολέμων διήτησε. Στολὴν τε τὴν  
ὑπάτικὴν κατ' ἀξίαν τῆς νίκης ἐνό-  
μως περιβέβλητο, ἐφ' ἣ καὶ τὸ κα-  
τὰ τῶν πολεμίων τρόποιον ἐχειρίζε-  
το, ὧν ἐνεγέγραπτο τὰ ἐκείνῳ πεπο-  
νημένα, εἰσαγοντὶ τε πρὸς τὰς ὑπά-  
τας λάφυρά τε καὶ ἀιχμοδέτας,  
χειρίζεσθαι δὲ τόμους λόγους ἐν τέτοις  
παισηομένους τῶν περὶ πολέμους ἀνα-  
λωμάτων. Σκηπίωνες δὲ ἀπὸ τῶν  
τῶν Ῥωμαίων Σκηπίωνος κατὰ πολε-  
μίων μέγιστα στρατηγήσαντος, ἐξ ἧ  
τὸ ἔμφημον ἀπηνέγκατο, ἣ καὶ σκε-  
παῖα κατὰ τὸν δημῶδη λόγον, διὰ  
τὸ τὰς ἐπιγνώμονας, ὡς εἶμαι, τῶν

quibusdam temporibus summi  
Pontificis dignitatem suscipien-  
tium, qui etiam, ut Imperatores,  
revera temporum domini erant,  
eorumque singuli, anni unius im-  
perium nacti, ad bella mitteban-  
tur: quibus confectis, domum re-  
verfi, a Consulibus, qua ratione  
bellicas res administrassent, quaere-  
bantur \*. Consularem autem  
vestem Cos. pro dignitate victo-  
riae legitime induebat, cum qua  
& tropaeum de hostibus accipie-  
bat, cui inscriptae erant res ab  
ipso gestae, atque adducebat ad  
Cos. tum captivos tum spolia,  
in tomos autem, quae capta ab  
ipso occupataque in bello fue-  
rant, referri solebant. Scipiones  
vero a Romano Scipione, ma-  
ximo belli duce, fausti ominis  
causa nominantur, ut &, quae vul-  
go scepra appellamus, propter-

B 3

ea,

\* Justinianus quoque Imperator, Con-  
sulatus nomen & officium, floren-  
te republica, bellorum causa insti-  
tutum, ac forte lectos, & in provin-  
cias missos Consules esse, ejusque  
rei causa scipiones a senatu accepit.  
Scrimg. *Novell. CV. p. 268. edit.*  
Tὸ τῆς ὑπατείας ὄνομά τε

καὶ πρῶτα τοῖς μὲν πάλαι Ῥωμαίοις  
πρὸς τὴν τῶν πολεμίων ἐπινοήθη  
χρεῖαν, καὶ ταῖς ψήφοις, ὡς αὐτοῖς  
ἐπὶ τῇ χειροτονίᾳ τὸ κανὼν ἐδίδοε τῆς  
πολιτείας σχῆμα. διελάγησαν γὰρ  
εὐθὺς τὰς ἐπαρχίας ἐν αἷς Ῥωμαίοις  
πόλεμος ἦν, καὶ κατ' αὐτὰς ἐκλήραν-  
το τὰς ῥάβδους.

(XIII.)

ea, quod indulgentes, ut puto, bonis coronent, indicant praeter ea, quam ineffabilis gloriae strenui viri participes fiant, quorum ad imitationem alii excitentur. Calceis porro, quos Latini *Campania* vocant, conveniens militi agilitas, tum eo, quod circa crura vinculis ex pilis religentur, tum quod clypeis, aut scutis rotundis tegantur, & quod prudentes munimento nullo opus habeant, innuitur.

καλῶν ἀποσκέψθαι, πρὸς ταῦτα καὶ ἔννοεῖν, ὁποίας ἀναγράφτε τιμῆς οἱ ἀνδραγαδιζόμενοι, μετελήφασιν, καὶ ζήλων πρὸς τὴν μίμησιν. Ἄπὸ δὲ τῶν καμπαγίων, ἃ λατίνων Φωιῆ προσηγόρευται, τῆς πολεμικῆς ἀδρότης τὸ εὐκίνητον, ἀλλὰ μὴ καὶ τὸ ὀχυροποιεῖσθαι διὰ τὰς κατὰ τὰ σκέλη ἐκ πύλων περιπλοκῆς, ἢ τὸ διασκευᾶσθαι αὐτοῖς τοῖς θυρεοῖς, ἢ ταῖς περιφέρεισιν ἀσπίσι, καὶ διὰ τὸ μὴ δεῖσθαι περινενοημένους κατοχυρώσεως.


IV.

*Consulum ornamenta eorum uxoribus, forte etiam liberis concessa. Lorum Patriciae Vestes. In Compendiensi diptycho non uxor Consulis, sed Romae effigies exhibetur; quae etiam in Parisiensi expressa est. Parerga Diptychorum. Insignia quaedam Comitum sacrarum largitionum & rerum privatarum aliter, quam a Pancirolo factum, explicantur. Nonnulla de ludis consularibus & de thymelicis. De Consulum apparitoribus, in Asterii diptycho occurrentibus.*

Consulum ornamenta uxoribus eorum a Justiniano <sup>a</sup> concessa sunt. Ἐἰ δὲ καὶ γαμετὴν ὁ ὑπάτευσιν ἔχοι, διώξεσθαι παρ' ἡμῶν καὶ τὸ τῆς περὶ αὐτὴν μέτρον δαπάνης· δεῖ γὰρ συναπολάειν καὶ ταύτας τῆς τῆ συνοικέουτος λαμπρότητος. *Si autem etiam uxorem Consul habeat, definita est a nobis circa illam expensarum mensura: decet enim & eas frui conjugis claritate.* Propterea in vetustissimo Dioscoridis codice bibliothecae Vindobonensis, illustrissima IULIANA, Olybrii Augusti

a) Novell. CV. p. 269.





JOHANNES CONVULSUS  
in vetere Pictura  
Bibliothecae Lipsiensis.



Augusti filia, & Areobindae Consulis uxor, loro, ut a Ducangio<sup>b</sup> observatum est, induta cernitur. In aula quoque Byzantina consuetudo viguit, ut Patricia Zofte, cujus munus erat, Augustam cingere & ornare, ea veste uteretur: quod ex praeclaro Constantini opere<sup>c</sup>, cujus mihi copia a celeberr. Mascovio facta est, discimus: καὶ ὅτε ἀπέλθῃ, inquit, ἡ Ζωσὴ πατρικία εἰς τὸ πάνθειον, ἐνδύεται τὸ θωράκιον ἐπάνω τῆ δελματικῆς, καὶ φορεῖ καὶ λῶρον, καὶ τὸ προπέλωμα. *Et cum ad Pantheum abiit Zofte Patricia, induit thoracem supra Dalmaticam, lorumque gestat & amiculum laxius.*

Quaquam vero uxoribus modo Consulum quaedam dignitatis ornamenta Justiniani lege decernantur, inclinat tamen animus, ut liberis etiam suis schema consulatus eos credam imperitos esse. Vetera enim monumenta, ab ill. Buonarotta<sup>d</sup> eruta, consulares familias eodem plane habitu repraesentant, quod pariter ex antiqua pictura musei Lipsiensis, mosaicum opus imitante, colligitur: ubi praeterea puer, bulla aurea ornatus, animadversione dignus est. Nostram conjecturam, ni fallor, auctor de passione S. Alexandri, legionis Thebanae martyr<sup>e</sup>, confirmat: *Praetextati cujusdam illustris filius eidem se jungens, libentissime intra paucum tempus ab eo eruditus, laureato habitu ibat.* Caeterum quod Wilthemius, illo Justiniani loco<sup>f</sup> motus, foeminam cum face lemniscata, in Compendiensi diptycho expressam, Philoxeni Consulis uxorem esse, conjiciat, id effigie, non optime a Sirmondo descripta, inductus fecit. Neque enim ex Imperatoris verbis, uxoribus imagines in diptychis exhibere, moris tum fuisse, sequitur, & foemina, in Compendiensi sculpta, Romae est, cum veteris,

b) Differt. citat. VIII.

c) Lib. I. cap. 59. p. III.

d) Framm. di Vetro Tav. XXIII. 4.

e) Subjecta Gratioli Aedif. Mediol. p.

183.

f) Append. ad Diptych. Leod. p. 12.

teris, tum novae, ( orientis enim Consulatam gessit Philoxenus, ) fascis & secures laureatas, rudi opere expressas, tenentis simulacrum. Ita in Basilii diptycho Roma capite galeato, altera mamma nudata, Consuli cum fascibus adstat, fere ut in opere Phrygio apud Corippum s:

*Plaudentem Libyam, fruges laurumque ferentem  
Addidit, antiquam tendentem brachia Romam,  
Exerto & nudam gestantem pectore mammam.*

Antiqua opera horum temporum artifices, qua potuerunt manu, imitatos esse, deprehendi. Simili enim cultu habituque Roma in numis familiae Juliae, in arcu Titi, currum triumphantis agens <sup>h</sup>, in marmore denique Capitolino, globum, imperii orbis terrarum symbolum, M. Aurelio Imperatori tradens <sup>i</sup>, conspicitur. Eam pariter & Constantinopolin, foeminas, Consuli in Parisiensi diptycho adstantes, quas Palladis, seu alius cujusdam Deae simulacra Ducangius putat, referre arbitror. Vna enim ex illis fascis, rudi artificio insculptos, gestat, altera figuram rotundam, non multum ab ea, quae in Norico occurrit, diversam. Ficum, aut caryotam, in anni, quem Consules aperiebant, auspiciis distributas, ut, praeter antiquorum testimonia, ex gemma musei Sabbatini, a Maffeo <sup>k</sup>, & lucerna, a Bellorio explicata <sup>l</sup>, apparet, ea conjicio significari.

Superfunt in Diptychis nonnulla, ab eruditis haud fatis recte explicata, quae etsi levia quibusdam videbuntur, non prorsus tamen otiose nostram in iis illustrandis operam collocabimus. Scilicet in Brixiano aequae, ac Norico, ingens auri argentique, rudis & signati, copia, quod pro panibus & pugillaribus eruditus hujus

g) Lib. I. v. 287.

h) V. Bellorii Arcus Augustales.

i) Montf. Ant. Expl. Suppl. T. III. pl. 3.

k) Gemme antiche figurate Tom. I. p.

113.

l) P. III. Tav. 5.

hujus interpres <sup>m</sup> habet, praesto est. Hoc signo strenae, Cal. Januar. a Consulibus, faeces capientibus, in populum sparfae, indicantur: quae cum abundantia & ambitione ipsorum nimis excrescerent, Justiniani Imperatoris lege, praeter argentum, quicquam in multitudinem projiciendi <sup>n</sup>, interdictum est. Praeterea munus Comitum sacrarum Largitionum, a Clementino Consule gestum, ad quod cura monetae signandae pertinebat, massis illis notatur. Cassiodorus <sup>o</sup>: *Facis, ut figura vultus nostri metallis usualibus imprimatur.* Non minus adjecta his palmae folia liberalitatem Consulum, qua in dignitatis auspicii favorem hominum venabantur, declarant. Ea veterum consuetudo nota est ex Martialis:

*Aurea porrigitur Jani caryota Calendis.*

Hinc in notitia dignitatum Imperii aurea palmae folia, inter insignia Comitum sacrarum Largitionum, ad strenas, Comitibus Consistorii, aliisque aulae proceribus, Principis nomine, quotannis distribuendas, pertinent, nec ab eruditissimo viro, qui commentarios in eum librum scripsit, ad Augustae ornamenta, scripturumque sculptorum & artificum recte referuntur <sup>q</sup>. In Comitiva quoque rerum privatarum, non ad oleaginas frondes, militibus donatas, quod eidem placuisse video <sup>r</sup>, sed ad annua munera, Principis jussu, Advocatis Fisci Praetoriani collata, spectare videntur. Ex variis Codicis Theodosiani locis nostrae praesidium sententiae accedit.

De Ludis Consulum inferioris aevi, picturam Leodienfis Diptychi expositurus, Wilthemius, allatis in medium Claudiani, Cassiodori, Marcellini locis, omnium optime egit <sup>s</sup>. Postea epigramma, a TVRCIO APRONIO, Consule A. cccxciv. Mediceo

## C

Virgili

- m) §. XIV. p. 20.  
 n) Novell. CV. p. 268.  
 o) Variar. Lib. VI. ep. 7.  
 p) Epigramm. L. XIII. 27.

- q) Comment. ad Notit. Dignitar. Vtr. Imp. p. 114.  
 r) Loc. cit. p. 133.  
 s) Dipt. Leod. C. VI. p. 21. f.

( XVIII. )

Virgilii Codici praefixum innouit, unde triplices ab eo in circo institutos fuisse, scenicos, curruum certamina, ferarum pugnas, cognoscitur:

*Tempore, quo penaces circo subjunximus, atque  
Scenam in Euripo extulimus subitam,  
Ut ludos, currusque simul, variunque ferarum  
Certamen junctum Roma teneret ovans. &c.*

Penaces, seu πίνακες, ut a Reinesio τῶ πάνυ, observatum<sup>u</sup>, sunt tabulae, σανίδες, e quibus subita in circo scena construebatur, non πανεχῆς, seu Pancarpum, ut pugna cum bestiis, in Historia Augusta appellatur, quod Henrico Valesio placuit\*. Nam Corippus quoque auctor est<sup>v</sup>, Justinum Imperatorem & Consullem, ut populus tum videre spectacula, tum missilia excipere commode posset, asserum coaxationem fieri curasse:

*Conjungunt tabulas, & ferri nexibus arctant,  
Qua pondus strepitusque virum motusque faventis  
Ferre queant populi. Cunctorum terga locorum,  
Alternumque latus conclusit sectile lignum:*

& quae sequuntur. Antea vero quam ludorum initium fiebat, epulas in circo publicas Consul exhibebat, ut ex his Cedreni verbis apparet<sup>z</sup>: μαππάριος τοῖς Ρωμαίοις ἔδοξε καλεῖν ἐξ αἰτίας τιαυτής. Ἔθος ἦν τοῖς ὑπάτοις ἐπὶ τῶν θεάτρων ἐνωχῆσθαι, μετὰ δὲ τὸ πάυσασθαι τῆς ἐνωχίας, τὸ ἐν χεροῖν ἐκμαγεῖον, ὃδὲ μάππαν πασίως καλεῖσιν, ἐξ ἧ καὶ μανδύλια ἔριπτον ὅπερ ὑποδεχόμενος ὁ λεγόμενος μαππάριος τὸν ἀγῶνα παρεσκεύασεν. Mapparii nomen Romanis tali de causa usurpatur. Mos erat, ut Consules in theatro epularentur, ac postquam saturati convivio erant, mantile, quod manibus tenebant, quod & mappa dicitur,

t) Notif. ad Cenot. Pisana, diss. IV. p. 444.

u) In Epist. ad Nic. Heinsium T. V.

x) Loc. cit. p. 195.

y) Lib. III. v. 62. f.

z) Comp. Histor. p. 169.

Syll. Burm. p. 190.

( XVIII. )

tur, projiciebant, idque is, qui ab ea re mapparius dicitur, arripiens, certamen adornabat. Mapparius Consuli in Diptycho Basilii adstat. In scenicis ludis cantores, mimi, histriones prodibant, quorum ars θυμέλη appellatur. Justinianus de Spectaculis Consularibus 2: 'Εν τῷ θεάτρῳ τοῖς ἐπὶ σκηνῆς γελοιοποιοῖς ἔσαι χώρα, τραγωδοῖς τε καὶ τοῖς ἐπὶ τῆς θυμέλης χοροῖς. θεάμασι γε παντοδαποῖς καὶ ἀνέσμων ἀνεωγμένον ἐστὶ τὸ θεάτρον. In theatro histrionibus scenicis, tragoedis & thymelicis choris: spectaculis universis & audibilibus apertum est theatrum. Quid sint thymelici chori, omnium optime ex passione B. Genesii concluditur 3: B. Genesius cum esset in urbe Roma magister mimithemelae artis, qui stans cantabat super pulpitem, quod themele vocabatur, & rerum humanarum erat imitator. Et quodam die cum vellet Imperatori Diocletiano ludum exhibere de mysteriis christianae observantiae, utpote saevissimo tyranno, & hujus rei gratia spectante Imperatore, cum omni populo, in medio theatri, quasi aegrotus decumbens, se posceret baptizari, mimum in haec verba proposuit: Eja, nostri, gravem me sentio, levem me fieri volo. A pulpito, quod Graecis θυμέλη est, hi ludi nomen, teste Isidoro, acceperunt 4.

Principum, quibus regnantibus, Consulis nomen fastis additum erat, imagines, sacri vultus Gratiano dictae, in Diptychis nonnullis expressae sunt. Has in Leodiensi ASTERII apparitor, pilae auratae impositas, & iis, quas Notitia Dignitatum exhibet 5, omnino similes, manu praefert. Inferiorem partem, non satis affabre sculptam, sportas, largitionum consularium plenas, esse, Wilthemius statuit 6. At illae & capaciores erant, & sportae, quam vetus Calendarium, mense Octobri, sistit, prorsus dissimiles,

C 2

ut

2.) Novell. CV. p. 269.

a) Ruinarti Acta Mart. p. 283.

b) Orig. Lib. XVIII. c. 47.

c) Cap. XXIV. p. 46.

d) Appendix ad Diptych. Leod. p. 12.

ut picturam hanc inspicienti apparebit. Caeterum non dubito, duos chlamydatos juvenes in diptycho, quod STILICONIS creditur, Consuli adstantes, ejus apparitores esse, licet cl. Maureau alterum eorum Eucherium, Stiliconis filium, notare, contendat<sup>e</sup>. Familias enim Consulares in illis tabellis effectas esse, nullius scriptoris testimonio, nullo hactenus exemplo constitit.

## V.

*Processio Consulum e Palatio instituebatur. De forma Sellae Curulis, aetate Cassiodori, contra Schefferum disputatur. Cordini & Anonymi de Antiquit. CSP. versio tentatur. Codicillos Consulum cum Diptychis a Jac. Gotthofredo & Bandurio consulendi, ostenditur.*

His fere insignibus consularis dignitas, qua major olim in re publica Romana nulla fuerat, cum, translata ad Imperatores potestate, nomen inane esset, fulgebat, hoc habitu, in auspiciis muneris, Consul e Palatio procedebat. Eum honorem Galbae, quod Liviae Augustae affinis esset, habitum fuisse, Plutarchus scribit<sup>f</sup>:  
 Ἦν δέ τι καὶ Λιβία τῇ Καίσαρος γυναμὶ κατὰ γένος προσήκων ὁ Γάλβας, καὶ διὰ τῆτο Λιβίας παρασχέσης ὑπάλος ἐν παλατίῳ προσήλθεν: postea ad omnes translatus est. Arrianus<sup>g</sup>, qui sub Antoninis vixit: καὶν μυριάκις ὑπατεύσης, καὶ ἐς παλάτιον ἀναβῆς. *Etiamsi millies Consulatum gessisses, & in Palatium ascendisses.* Mamertinus, ea dignitate, Juliano imperante, functus<sup>h</sup>: *Itaque matutino crepusculo palatium petimus.* Ibi enim Consules sellam curulem ascendeabant, deinde processio ad curiam, comitantibus consularibus, & ipso nonnumquam Imperatore, viatore & licitoribus viam facien-

e) Mem. de l' Acad. des Inscr. T. V.

p. 305.

f) In Galba p. 1054.

g) Ad Epictet. L. IV. c. 1. p. 377.

h) In Gratiar. Act. cap. XXVIII. pag.

227.



facientibus, ut ex eodem & Ammiano<sup>i</sup> apparet, instituebatur.  
De Justini Consulari pompa Corippus<sup>k</sup>:

*Consulis adventum, summa tardantis in aula,*

*Expectant, oculosque omnes ad regia tollunt*

*Limina, processumque Augusti Consulis optant.*

Idem, paucis interjectis, de curuli sella<sup>l</sup>:

*Tollitur in magnum divalis sella triumphum*

*Mille ministrorum manibus, gratoque labori*

*Submittunt humeros.*

Anonymus quoque Valesianus<sup>m</sup>, ubi de Decennialibus, ut legendum esse, eruditi observarunt, Theoderici Regis agit: *Per tricennalem triumphans, ingressus Palatium, Romanis exhibuit ludos Circenses.* Septem vero processiones Justinianus Imperator Consulibus permisit<sup>n</sup>. Quarum primam Calendis Januariis, insignia muneris primordiaque capientes, secundam certaminibus equorum signum mappa daturi, agebant. Tertiam cum venationes theatrales populo; quartam, cum *Μονημέριον*, seu gratissimum illud Pancarpum, ubi homines mercede conducti cum feris congregabantur, exhibebant. Quinta ad theatrum, ut ludos tragicos & comicos, variaque spectacula cernerent, fiebat: ea *πρόβη* vocabatur. Sextam, quadrigarum certamina mappae projectione auspicatorum; ultimam denique, annuo munere se abdicantes, pompam ducebant. Hunc ordinem observare Consules, Imperator, ut immoderatam eorum ambitionem coerceret, iussit: verba constitutionis, quippe longiora, exscribere, supervacaneum putavi.

Sella autem eburnea, qua horum temporum Consules utebantur, ab ea, quae in florentis reipublicae monumentis conspicitur,

C 3

i) Lib. XXII. c. 7. p. 234.

k) Lib. III. v. 211. f.

l) Loc. cit. v. 227.

m) p. 511.

n) Novell. CV. p. 268.

citur, longe diversa fuit, quippe gradibus ad eam ascendebatur. Hoc tum ex omnibus Diptychis, tum e Cassiodoro ° apparet: *Sellam*, inquit, *curulem pro sua magnitudine, multis gradibus enisus, ascende*. Quem locum Joh. Schefferus non recte accepit, dum per *gradus*, honores inferiores, per quos candidatus ad consulatum transit, propterea, quod curulis magnitudine non superet communes sellas, intellexit p. Liberae enim reipublicae mores a cadentis Imperii consuetudine longe diversi sunt, nec veteres numi ad Cassiodorum illustrandum quicquam valent.

Orientis Consules in Senatu, (ita domus Constantinopoli, ubi magistratus urbis convenire solebat, vocabatur) codicillos, in foro consularem vestem accepisse, Chronographus <sup>1</sup>, doctissimis Bandurii commentariis illustratus, docet: *Πρώτον Ὑπάτος ἐν τῷ Φόρῳ Καλλίστρατος ἐτιμήθη, καὶ ἕως βασιλείας Κωνσταντίνου Ὑπάτοι κωδικέλλας ἐν τῷ Φόρῳ ἐλάμβανον*. *Primus in foro Callistratus Consul renuntiatus est, & usque ad Constantini Imperatoris tempus codicillos in foro Consules accipiebant*. Quod ex Codino hausit, cuius verba haec sunt: *Τὸ Σινάτον ἐξ ἀρχῆς ἦν τῶν κωδικέλλων Φυλακτήριον ἐκεῖσε γὰρ οἱ πατρίκοι ἐλάμβανον αὐτὸς ἕως Κωνσταντίνου, καὶ Καλλίστρατος πρῶτος τὴν ἀξίαν ὑπάτος ἐκεῖσε ἐδέξατο*. *In Senatu codicilli antiquitus custodiebantur: nam ibi Patricii eos accipiebant, usque ad tempora Constantini*. In utroque auctore, si Graeca id paterentur, pro: *usque ad tempora Constantini*, reponerem: *inde a Constantini temporibus*. Quem enim primum in foro renuntiatum Consulem scribunt, Callistratus, post Constantini aetatem vixit: nisi haec fortasse non de magno illo, sed uno ex posterioribus Imperatoribus potius intelligi debent.

Porro

o) Var. Lib. VI. l.

q) Antiquit. CSP. Lib. I.

p) De re vehic. Lib. II. 16. p. 206. f.

r) De Antiqu. CSP. C. XLVI. p. 23.

Porro ea loca Bandurius non satis recte de consularibus diptychis accepit, allatoque Compendiensi & Comodoliacensi illustravit: quod etiam a magno Codicis Theodosiani interprete commissum esse deprehendi, ut varia veterum loca, in quibus codicillorum mentio, de diptychis explicaret<sup>s)</sup>. Res plane diversas summi viri confuderunt. Diptycha enim ad Senatum & amicos a Consule in dignitatis auspiciis mittebantur, codicillis ipse ab Imperatore designabatur; unde honorarii Consules a Juris auctoribus, aliisque, *codicillares* appellantur. Ita Libanius in *Epistola ad Julianum Imperat.*<sup>t)</sup> capiendus: Ἐχω τὴν τιμὴν, λαβὼν ἐν τῇ Φιάλῃ, καὶ τῷ διθύρω γραμματείῳ· καὶ τὸ μὲν ἐλέφαντος, ἢ δ' ἐστὶν ἀργύρου. Teneo munus, quod in phiala & bipatenti pugillari accepi: hic ex ebore est, illa ex argento. Nec alium sensum Isidori verba recipiunt, qui Apostolos, quamvis humiles ac tenuissimae fortunae homines plerisque visi sint, omnium regnorum proceribus longissime antepōnit<sup>u)</sup>: Ὅσον γὰρ ὑπαρχοὶ τινες ἦσαν περὶ τὸν βασιλεῖα, καὶ δεχόμενοι ἐκ τῶν δέλτων ἐξ ἐλεφαντίνου, εἰσω γέρας ἀνθρώπινον ὠδινώσας. Etenim velut Praefecti quidam erant circa Regem, atque non eburneas quasdam tabellas, quae humanum aliquid praemium & honorem parturirent, accipientes. Eburneis enim codicillis Consulibus & reliquis magistratibus dignitates collatae sunt, ut praeter adducta veterum loca, ex Themistio constat, qui suam praedicans fortunam, quod Arcadius, Theodosii Imperatoris filius, artibus ac disciplinis formandus imbuendusque sibi traditus esset, eo honore longe inferius praefecturae urbanae munus amplissimum arbitratur<sup>v)</sup>: οὐκ ἄρα ἐγὼ σπαδαρχῶν ὑπέσχεον τῷ χεῖρε τῇ πολιαρχίᾳ. Non igitur honorum studiis atque ambitione ductus, Praefecturae urbis manus suppositi. Et nonnullis interpositis: Ἐγὼ μέντοι ἐν ἐπ' ἐκείνῃ τῇ δέλτῳ, ἀλλ' ἐπ' ἄλλῃ μείζονι καὶ τελευταίῳ, ἢ καὶ τὰς δέλτους ἐκείνας ἤδη ἔχον ἐπ' ἐξουσίας.  
ἦν

s) Jac. Gothofr. ad C. Lib. XV. Tit. 9.  
 t) Epist. 97.

u) Lib. II. Ep. 5.

v) Orat. XVIII. p. 224.

ἢν ἐκ ἐποίησαν ἐλεφάντινοι ἢ δὲ χρυσοχόοι, ἀλλὰ ποιήμα ἐστὶν αὐτῆ βασιλείας.  
*Ego vero non de istiusmodi tabella magnopere glorior, sed de majori & perfectiori altera, quae jam illas tabellas in sua potestate continet: quam non eboris aut auri artifices procuderunt, sed ipsiusmet Imperatoris opus est. Quem Themistii locum si quis de Diptychis explicaret, is consuetudinē antiquorum, atque Valentiniani, Theodosii & Arcadii A A A. edicto \* refelleretur. Ita enim Imperatores: Illud etiam constitutione solidamus, ut exceptis Consulibus ordinariis, nulli prorsus alteri auream sportulam, diptycha ex ebone, dandi facultas sit.*

Caeterum morem, per codicillos eburneos magistratus designandi, Orientis Imperatores posteriorum temporum observasse, praestantissimi codicis, cujus supra mentionem injeci, fide compertum est. Constantinus enim eo loco γ, ubi de Patricii Syncretici processione agit: καὶ ἐξέρχεται ὁ πατριάρχης ἐκ τῆς θυσιαστηρίου, καὶ λαμβάνει τὰ κωδικέλλια ἐξ αὐτῶν, καὶ τίθησιν αὐτὰ ἐν τῷ ἀνθίμισίῳ, καὶ ποιῶν τὴν ἐυχὴν, καὶ εἶθ' ἕτως ἐπιδίδωσιν ἐνὶ ἐκάστῳ πατριάρχῳ τὰ κωδικέλλια αὐτῶν. *Et exit ex sacrario Patriarcha, & codicillos ex eo sumit, positisque ipsis in altari, preces recitat, & postea suos singulis Patriciis codicillos tradit. Idem de pompa Praepositi<sup>a</sup>: καὶ λαμβάνει παρὰ τῶν δεσποτῶν πλάκας ἄνευ κωδικελλίων, καὶ φιλεῖ τὰς χεῖρας αὐτῶν. Et accipit a despotis tabulas sine codicillis, & osculatur eorum manus.*

x) Cod. Theod. L. XV. Tit. 9. de expensis ludorum.

y) Lib. I. cap. 56. fol. 105. b.  
 1) Cap. 50. f. 112. b.

SECTIO SECVNDA.  
DE BRIXIANO BOETII COS.  
ET DE ECCLESIASTICIS  
DIPTYCHIS.

I.

*Inscriptio Diptychi Brixiani. Eminentissimi Quirini & Phil.  
a Turve in eam observationes. Novae conjecturae proponuntur.  
Tituli Boetii & dignitates illustrantur. Quo ordine officia cadente  
Imperio collata sint, disquiritur. Praefectura urbana a Boetio  
gesta. Locus ejus in Consolatione aliter, quam a Cujacio factum,  
explicatur.*



onsulum, quos haecenus memoravimus, obscurior me-  
moriam est, vix eorum nomina Fasti nobis servarunt, &  
ii quidem tot gravissimis mendis inquinati, ut tantum  
versatissima in veterum monumentis ingenia ipsis emendandis  
sufficiant. Omnium contra seculorum memoria dignus Boe-  
tius, cujus vultum, in Diptycho Brixiano illustris Barbifoniae  
familiae, cum incredibile voluptate intuemur<sup>a</sup>. Equis enim non  
paulo humanior tanti viri, qui, perturbatis rebus, unus ab inte-  
ritu litteras vindicavit, cujus scripta ex penetralibus disciplinarum  
hausta, cujus divina Consolatio cum omnibus antiquorum ope-  
ribus comparari meruit, adspectu delectaretur? Litteras, quibus  
dignitates & nomina exprimuntur, continua serie, ut mos erat  
veterum sculptorum, procedentes:

NARMANLBOETIVSVCETINL

& in altera parte:

EXPPPVSECCONSORDET PATRIC

D

consul-

a) Giorn. de' Lett. Tom. XXVIII. A. II.



consultus a Galeardo Philippus a Turre, Praeful Adriensis, ita interpretatur<sup>b</sup>: NOVO ANNO RVRSVS MANLIVS BOETHIVS, TER VRBI PRAEFECTVS, quod ex littera P, tribus vicibus repetita, ut duplicem Consulatum ex binis CC, colligit, & potiores tantum Boetii dignitates hic expressas esse, statuit. Conjecerant antea Brixiani eruditi: EXPRAEFECTVS PRAETORIO PRAEPOSITVS SACRI CVBICVLI, ET COMES, CONSVL ORDINARIVS: sed ille, si ea lectio vera esset, post tertium P litteram C addi debuisse, arbitratur.

Ab illa Adriensis Praefulis explicatione Eminentiss. QUIRINVS discedens, Boetium bis Consulem processisse, argumentis a Sirmondo & Pagio allatis negat, errore librariorum Flavio Boetio consulatum A. CCCCLXXXVII. in Fastis adscribi, Symmachum & Boetium A. DXXXII. Consules, philosophi filios esse, ipsum non, nisi semel, ea dignitate functum, docet. Nec de praefectura, ab ipso administrata, certo constare, cum Fasti, ad quos ille provocat, a Panvinio & Contelorio editi, de ea plane silent. Sculptoris vero negligentia, ut pro *Anicii* nomine, tres priores litterae corruptae in Diptycho legantur, accidisse.

Quantquam tantorum nominum reverentia apud me summa sit, in doctissimis tamen eorum conjecturis ut penitus acquiescam, a me impetrare nequeo. Paulo aliter distinguenda mihi ejus monumenti inscriptio, aliter explicanda videtur, ita quidem, ut nullas, praeter tres priores, litteras, corruptas ab artifice, & transpositas esse, nec ipsas figlas, a reliquis, magno numero in litteratis lapidibus obviis, diserepare appareat: ANICIUS MANLIUS BOETHIVS, V. C. ET IN LUSTRIS, EXPRAEFECTUS PRAETORIO, PRAEFECTUS VRBI, SECUNDUM CONSUL ORDINARIUS, ET PATRICIUS. Quam lectionem quomodo antiquorum testimonia tueantur, dispiciamus.

Consules

b) In Epist. Eminent. Quirini ad Cl. de Boze p. 26. f.

Consules *Viros Clarissimos*, Patritios & Praefectos Praetorio *Inlustres* posteriori aevo appellari, res est cum veterum inscriptionum, tum auctorum fide satis confirmata: quanquam ab Imperatoribus *Amplissimi* quoque salutati sint, ut ex Mamertino constat <sup>c</sup>. Patritii honore Boetium auctum fuisse, ex Theoderici regis ad eum epistolis <sup>d</sup>, Paulo Diacono <sup>e</sup>, Agnello <sup>f</sup>, vetustis denique codicibus a Vallino consultis, in quibus: V. C. ET INL. EXCONS. ORDINARIUS ET PATRITIVS vocatur, discimus. At Praefecturam Praetorii Boetium administrafse, nemo, si a Diptychi certissimo testimonio discedis, perhibet. Sed cum illis temporibus ea dignitate vix alia illustrior haberetur, quod Praefectus Praetorio perpetuo in Principis comitatu degeret, quis virum, tanta apud Theodericum gratia valentem, ea perfunctum esse, jure dubitaret? Praeterea multos alios, omnibus, quibus ipse ornatur, honoribus decoratos, ad Consulatum pervenisse, reperimus. In inscriptionibus <sup>g</sup> L. ARADIVS VAL. PROCVLVS V. C. PERFUNCTVS OFFIC. PRAEF. PRAET. VRB. COS. ORD. & alibi VETTIVS AGORIVS PRAE TEXTATVS V. C. PRAEF. PRAET. II. ITAL. COS. DESIGN. occurrunt. Res alioquin difficillima est, quis ordo in conferendis magistratibus, Boetii aetate, observatus sit, declarare. Posset id ex Cassiodori Formulis <sup>h</sup>, ubi post Consulatum, Patritiatus, Praefectura Praetorii, Praefectura Urbana, Quaestura, Magisterium Officiorum, Comitivae Sacrarum Largitionum, Rerum Privatarum, Patrimonii, ut caetera transeam, memorantur, concludi, nisi hoc non perpetuum esse, ex eodem appareret. Theodatus enim Rex, Patritium & Consulem MAXIMUM Primicerium designans, in epistola ad Senatum <sup>i</sup>: *Ne quis nos P. C. in honoribus dandis non aestimet habuisse*

D 2

<sup>c</sup>) Gratiar. Act. p. 228.

<sup>d</sup>) Cassiod. Lib. I. 45. II. 40.

<sup>e</sup>) Hist. Misc. Lib. VII.

<sup>f</sup>) Lib. Pontif. Ravenn. p. 279.

<sup>g</sup>) Gruter. CCCLXI. 1. & MCII. 2.

<sup>h</sup>) Var. Lib. VI.

<sup>i</sup>) Lib. X. ep. 12.

buisse rationem, quod post insignia Consulatus minora magis posterius conferamus. Libanii jam aetate ea consuetudo invaluerat<sup>k</sup>: οἷς συνέβη τὲ ἐἰς ὑπάρχους τελέσαι πρὶν ἐκεῖνα τυχεῖν, ἥμισυ προσέχουσαν ἐκεῖνης. Multis contigit Consulat<sup>us</sup> ante Praefecturam, sed illi deinde ejus quoque Praefecturae non appetentes erant. Mamertino tamen dignitates a Juliano Imperatore ordine collatae videntur, primum Comitiva Sacrarum Largitionum, deinde Praefectura Praetorii, quod ab Ammiano<sup>l</sup> proditur, tandem Consulat<sup>us</sup>. Primum, inquit ille<sup>m</sup>, thesaurorum omnium mandata custodia & dispensatio largiendi, secundum locum tenet in honorum meorum fructibus Praefectura: additus his proventuum tuorum tertius, Consulat<sup>us</sup>. Zeno quoque Imperator<sup>n</sup>, neminem creari posse Patritium, qui prius Consul, Praefectus Praetorio, vel Urbis, aut Magister Militum & Officiorum non fuerit, edixit, unde Patritiat<sup>us</sup> dignitatem ceteris illustriorem fuisse, apparet. Sed huic constitutioni Justinianus Novella *περὶ συγλητικῶν* derogavit, & viris illustribus, etiam si neque consulares, neque praefecti fuerint, patritiat<sup>us</sup> honorem permisit.

Urbi Boetium praefectum fuisse, jam ill. a Turre conjecerat, quanquam ter eam dignitatem ipsum gessisse, si nostra interpretatio vera est, affirmari non possit. Neque ex argumento, quod ille afferebat, tuto id concluditur, cum Praefectura Urbis ter administrata, tum in veteribus libris, tum in marmoribus, triplici P nunquam notata sit. Admotum vero gravissimo muneri Boetium, licet non disertis scriptorum testimoniis probari possit, videor tamen mihi locum, unde hoc cum magna veritatis specie colligi queat, in ejus *Consolatione*<sup>o</sup> reperisse. Ibi enim cum Philosophia, honores a vulgi opinione pendere, adeo, ut nec ubique

k) Paneg. Juliani Conf. p. 230.

l) Lib. XXI. cap.

m) Grat. Act. p. 223.

n) Codic. Lib. XII. Tit. 3. de Consulibus.

o) Lib. III. Prof. 4.



que, nec semper, Magistratibus exhibeantur, monuisset, & umbratilem Consulatum dignitatem esse, Boetio, Consulari viro, ostendisset, pergit: *Atqui praefectura magna olim potestas nunc inane nomen est, & senatorii census gravis sarcina.* Ita quidem locus ille tum in veteribus editis, tum in MSto Codice capituli Mersburgensis legitur, cum alii *praeturam* exhibeant. Quam lectionem Jacobus Cujacius, Jctorum princeps, tuetur, & Praeturam, docet, onus senatorium fuisse, quod hanc suscipientes, circenses & scenicos ludos suis sumptibus exhiberent. Novi *Senatorum censum* eorum patrimonium a Tranquillo dici: at, qui, expensas in auspiciis munerum faciendas, ita dixerit, haecenus neminem inveni. Eae *largitiones, munera*, &, si a Consulibus eduntur, *ἰπαρεία* Graecis vocantur. Contra si de Praefectura urbana Boetii verba accipiuntur, omnia plana & aperta erunt. Agendi enim census cura Romae ad Praefectum Urbis pertinebat, qui ob id censuales, caeteris magistratibus non necessarios, habebat. Deinde nostram sententiam, quae apud Boetium proxime sequuntur, egregie illustrant. *Si quis quondam populi curasset annonam, magnus habebatur, nunc ea praefectura quid abjectius?* Urbis scilicet praefecto annonae curam habebat, de qua tamen cum annonae praefecto, qui sub sua disciplina erat, deliberare debebat. Loca ex Codice, hanc consuetudinem illustrantia, juris interpretes excitarunt.

## II.

*De Consulatu Boetii. Nomen illud ter in Fastis occurrit. Sirmondi & Pagii conjecturae proferuntur. Ex anno, quo Boetius philosophus occisus est, ostenditur, ipsum A. 487. Consulem non fuisse. Fasti A. 488. emendantur. Primus philosophi Consulatus in A. 510. secundus in A. 522. incidit. Sirmondi sententia perpenditur. Exempla Consulum vix e pueris egressorum.*

- p) Ad L. i. tit. 2. de Praetor. & honor. quem Vallinus in Notis ad h. l. alique sequuntur. q) Pancirollus Comment. ad Notit. Dignit. p. 16. r) Notit. Dign. Imp. Occid. p. 15. D 3 Aggre-

Aggredior jam de Boetii Consulatu disputationem, cum ob antiquorum librorum inopiam & silentium, tum ob perpetuum recentiorum scriptorum dissensum, arduam & difficilem. Nomen illud ter in Fastis occurrit. Primo enim BOETIVS V. C. ad annum CCCCLXXXVII. quo Odoacer victoriam a Rege Rugorum, Phae-  
ba reportavit, a Cassiodoro, Incerto Scriptore, Marcellino, aliis, memoratur, eumque patrem philosophi esse, Panvinius<sup>s</sup>, ni fallor, statuit. Baronius contra, ipsum philosophum eo anno consulatum gessisse, censet, eamque sententiam, quamvis dubitanter, Papebrochius amplexus est. Deinde BOETII A. DX. solius Consul-  
is ab iisdem auctoribus mentio fit, primusque Sirmondus, epistolam Ennodii, quae libri octavi prima est, hoc anno ad Boetium scriptam, & unicum ejus Consulatum in illa tempora incidere, conjecit: cui Pagius<sup>u</sup> sententiae subscripsit. Postremo cum Sym-  
macho collega facti A. DXII. BOETIVM Cos. agnoscunt, quem secundum ejus Consulatum Panvinius, tertium Baronius fuisse perhibent, notati a Sirmondo & Pagio, qui non Boetium cum Sym-  
macho socero, sed filios ejus, quos adhuc pueros, favore populi ad consulatum ascendisse, in *Consolatione* scribit<sup>x</sup>, hic indicari observant, & Baronium, eos consulares filios vocari, quod patre Consule geniti sint, affirmantem, errare contendunt. Videbimus de singulis Fastorum locis.

Primo omnium vix dubium est, BOETIVM A. CCCCLXXXVII. memoratum, philosophum non esse. Ejus enim praenomen in Concilii Romani tertii inscriptione *Flavius* est, at alterius nomina: ANICIVS MANLIVS TORQVATVS SEVERINVS BOETIVS, libro de definitionibus praefixa. TORQVATI tamen nomen in aliis

s) Comm. in Fast. Lib. III. p. 308.

u) Critica Baron. T. II. ad ann. 510.

r) Not. ad h. l. p. 38.

x) Lib. II. Prof. 4.

aliis veteribus libris non habetur, & perperam a librariis, quibus ex Romana historia Manlius Torquatus notus erat, additum videtur. Deinde computo annorum BOETII instituto, haec sententia certissime confirmabitur. Mori iussus a Theoderico est A. DXIV. quod, praeter Anonymum Valesianum, Marius Aventicensis perhibet: *Justino II. & Opilione, Ind. III.* (quae in dictum annum incidit) *interfectus est Boetius Patritius in territorio Mediolanensi.* Vnde Baronius, ejus caedem ad A. DXVI. referens, & Papebrochius, qui scriptam eo anno consolationem perhibet <sup>v</sup>, cum mendosis Chronicis, a Vincentio Bellovacensi <sup>z</sup> citatis, quae A. DXVI. haec accidisse produnt, emendari debent. Quinquagesimum vero annum aetatis tum nondum attigerat, aut certe vix superaverat, ut ex loco *Consolationis* <sup>a</sup>, ubi malis properatam senectutem, & intempestivam sibi canitiem contigisse, queritur, & vetere statua in aedibus Justinianicis <sup>b</sup>, quae sublatum eum anno circiter quinquagesimo testatur, eruditi collegerunt. Quare A. CCCLXXXVII. qui in aetatis decimum tertium incidit, consulatum ordinarium gerere non potuit. Obiter errorem, qui fastis haecenus adhaesit, emendo, & AEDESII DYNAMII, anni CCCLXXXVIII. Consulibus, corruptum nomen, ex inscriptione a Relando, post Fabretum <sup>c</sup>, adducta, restituo. Ejus enim fide ECCLESIVS legi debet. Librarii, cum ita litteris Romanis minoribus, quas vulgo Gothicas vocant, exaratum reperirent, c & l perperam juncto, *Edefius* reposuerunt.

Primum BOETIVS philosophus A. DX. Consul processit, quam ipsi dignitatem Ennodius, satis perspicue, nunquam antea Boetium ea splenduisse, ostendens, gratulatur. Quae praecedunt consulationum,

y) In vita Joh. I. Papae ad d. 27. Maji  
p. 704.

z) Spec. Hist. Lib. XXI. p. 823.

a) Lib. I. Metr. I.

b) Vallinus Not. ad Boetium p. 5.

c) Fabretti p. 529.

latum, dignitates. ut ipse scribit<sup>d</sup>, benevolentia procerum, juvenis consecutus est. *Praetereo sumtas in adolescentia negatas senibus dignitates.* Ad eum annum referenda est Praedicamentorum editio, cui animum Consul admovit<sup>e</sup>: *Etsi nos curae officii Consularis impediunt, quo minus in his studiis omne otium plenamque operam consumimus, pertinere tamen videtur ad aliquam reipublicae curam, elucubratae rei doctrina cives instruere.* Consulatum autem solus gessit; quod enim EVTHARICVM collegam ejus Panvinius & Baronius faciant, pugnare cum veterum testimoniis, ortumque ex librarii, Cod. Just. Lib. X. *de haeret.* ita exarantis, errore, dudum Ant. Pagius<sup>f</sup> observavit. Marmor etiam antiquum Dertonae repertum, in quo *Boetio & Eutharico Coss.* legi, Cuspinianus<sup>g</sup> prodit, neminem praeterea commemorasse, deprehendi.

Iterum BOETIVS *Consulatum*, cum Symmacho focero, A. DXXXII. gessit, ut recte Panvinius<sup>h</sup> observavit. Cujus sententiam, ut Brixiani Diptychi a nobis explicata inscriptio egregie confirmat, ita Sirmondi & Pagii, de Boetii filiis, Symmachii nepotibus, factos capientium, interpretationem penitus evertit. Inducti sunt maximi viri loco quodam Boetii, quem ita in *Consolatione* Philosophia alloquitur<sup>i</sup>: *Duos pariter Consules, liberos tuos, domo provehi sub frequentia patrum, sub plebis alacritate vidisti. &c: Quid dicam liberos Consules, quorum jam, ut in id aetatis pueris, vel paterni, vel aviti specimene elucet ingenii.* At eorum Consulatum tantum honorarium, qualem plurimi, per gratiam adlecti, ea aetate gesserunt, fuisse arbitror. Quo Ennodius respicit, in *Panegyrico, Theodorico Regi dicto*<sup>k</sup>: *Quid semper delubris immersa concluderis, Roma, hic actum est,*  
ut

d) Consol. Lib. XI. Pro. 3.

e) In praefat.

f) Critic. in Annal. Baron. ad h. a.

g) Ad Chron. Cassiod. p. 470.

h) In Lib. III. Faustor. p. 64.

i) Lib. II. Pro. 3.

k) pag. 305.

ut plures habeas Consules, quam ante videris candidatos. Atque eo res pervenerat, ut consularium virorum, ac multum apud Principem gratia valentium, filii, adhuc pueri, Consules designarentur. Ita PAVLINVS, Venantii Patritii filius, ab Athalarico Rege ad eam dignitatem evectus, & Senatui, cum vix e pueris egressus esset, commendatus est<sup>l</sup>. At horum nomina, quanquam eodem, ac ordinarii Consules, habitu & insignibus uterentur, ac munera & spectacula populo ederent<sup>m</sup>, non referri in Fastos solebant. Etiam Procopius<sup>n</sup>, ubi Reginam Amalafuntham Boetii liberis, ex Rusticiana Symmachi, bona paterna aerario addicta reddidisse, scribit, nullam consulatus, ab iis gesti, mentionem facit. Multo minus in *Historia miscella*<sup>o</sup>, ubi de Symmachi & Boetii caede narratio habetur, *Senior* hic & *Exconsul*, ne forte cum filio juniore & *Exconsule*, quae Renati Vallini opinio est, confunderetur, dicitur: ibi enim, ut alia taceam, meliores libri *Senator* exhibent. Postremo non capio haec doctissimi Sirmondi verba: *Sed ut omittam, Boetium si secundum Consul illo anno (DXXII.) fuisset, collegae Symmacho praeponi debuisset, cum in fastis & antiquis omnibus lapidibus postponatur.* Recte enim BOETIVS Consul II. SYMMACHO focero, eodem munere jam semel A. CCCXCV. sub Odoacro Rege perfuncto, ut, praeter Fastos, ipse Sirmondus docuit<sup>p</sup>, postponitur. Secundum ergo Boetii Consulatum, in Diptycho expressum, in A. DXXII. incidere, nec ullum praeterea ab ipso gestum, quod autem in Cuspidiani *Anonymo* legitur: BOETIO Conf. III. emendari debere, his fere argumentis commotus, arbitror.

l) Cassiod. Lib. IX. ep. 23.

m) Pagii Diss. Hypat. cap. VIII. p. 71.

n) De bello Goth. Lib. I. c. 1.

o) Lib. XV. p. 437.

p) Not. ad Ennod. L. VII. ep. 25. p. 36.

q) pag. 470.

*Verum ab Imperatoribus, an a Gothorum Regibus, Occidentis Consules creati sint? disquiritur. Valesii & Pagii sententia sub examen vocatur. Procopii & Cassiodori loca illustrantur.*

Quaestio hic oritur, an aetate, qua Gothis Roma subiecta fuit, Occidentis Consules ab illorum Regibus, an ab Orientis Imperatoribus designati fuerint? Posteriorem sententiam Henric. Valesius & Pagius<sup>s</sup>, moti inprimis Procopii quodam loco, tuentur. Is enim Gothorum legatos, Belisarium ita alloquentes, inducit: Πάσας τὰς τῆς πολιτείας ἀρχὰς αὐτοὶ μὲν διαγεγόνασι ἔχουσιν. Γότθοι δὲ αὐτῶν μετέσχεν ἑδείς. ἢ παρελθὼν τις ἡμᾶς ἐλεγχέτω ἢ μετὰ τῶ ἀληθῆς ἡμῖν εἰρησθαι οἴηται. προσθεῖη δ' ἂν τις ὡς δὲ οἱ τὸ ὑπάτων ἀξίωμα Γότθοι ζυνεχώρην Ἰωμαίοις πρὸς τῶ τῶν ἐσῶν βασιλείας ἐς ἑκατὸν ἔτος κομίζεσθαι. Omnibus praeterea urbanis ut antehac magistratibus Romani perfungebantur: Gothus vir nemo eorum particeps factus: vel procedat in medium, qui profari nos ista non vere existimet, addat & consularem quispiam dignitatem, qua exi Gothi ab orientis Imperatore donati, Romanis tamen perfungi permiserunt. Hujus, inquam, loci praefidio, Consules Occidentis ab Imperatore creatos esse, viri clarissimi contendunt. At mihi ex Cassiodoro, quem ego scriptorem, mores & consuetudines sui temporis accurate tradentem, maximi facio, angustiis terminis eam Imperatorum potestatem conclusam, seu potius nullam fuisse, constitit. In Consulatus enim, amplissimae dignitatis, formula, nulla Imperatoris mentione facta, Theodericus ait<sup>u</sup>: *Atque ideo per illam indictionem Consulatus te decoramus insignibus.* Alibi Athalaricus ad Senatum, saepe se Consules, saepe Patritios, saepe Praefectos, habita intercessione apud Theodericum Regem promovisse, scribit<sup>x</sup>. Nec Consules modo, sed reliquorum quoque munerum candidatos, a Theoderico declaratos

s) Proleg. Dissert. Hypar. XXXXI.

t) De Bello Gothico. Lib. II. cap. 6.

u) Variar. Lib. VI. l.

x) Lib. VIII. ep. II.

tos & Senatui commendatos esse, ex eodem scriptore discimus v. Ita IMPORTVNVVM, post fasces emeritos, Patritiatus honore ornat, LIBERIO Praefecturam Praetorii committit. Anon. Valefianus z: *Theodericus Liberium Praefectum Praetorio, quem fecerat in initio regni sui, fecit Patritium, & dedit ei successorem in administratione Praefecturae.* ARTEMIDORO, illustri viro, urbanam praefecturam decernens a: *te, inquit, per indictionem tertiam ad praefecturae urbanae culmen erigimus: & in commendatione candidati b: Talem Principem cognoscitis vos habere, qui praemia bene meritis, ultionem tribuit improbis.* Magistros quoque Officiorum solum Regem creasse, ex Cassiodoro colligitur. Quare honoris tantum causa, arbitror, factum esse, quod Athalaricus Justinianum Augustum, ob consularem trabeam, genero suo Eutharico datam, laudet c, sicut Theodericus, conjuncto cum Anastasio Imperatore suffragio, FELICI consulare munus permittit d. Deserebant enim hoc Gothi majestati Imperatorum, ut quasi jussu ac voluntate eorum Consules ac caeteros magistratus suos creasse viderentur, cum tantum hoc umbra potestatis esset, & de jure illo, ne imminuta imperii dignitas appareret, ipsi decedere nollent. Quod Johannes Malela, post eruditam Pagii dissertationem de-  
 mum in lucem editus, confirmat e: *καὶ ἐφιλιάθη Θεουδέριχος Ζήνωνι τῷ βασιλεῖ, καὶ πάντα ὅσα ἔπραξε κατὰ γνώμην αὐτοῦ, καὶ τὰς ὑπάτους χρηματίζων Κωνσταντινουπόλεως, καὶ τὰς ἐπάρχους τῶν πραιτωρίων, καὶ τὰ καδικέλλια μὲν τῶν αὐτῶ ἀρχόντων τῶν μεγάλων ἀπὸ τῆ βασιλείας Ζήνωνος ἔδεχετο, μνηύων αὐτῷ, τίνα ἤθελε προαχθῆναι καὶ τὰς σινηπίονας δὲ τῶν ὑπάτων ἐπὶ τῆ βασιλείας αὐτῆ ἐλάμβανε.* *Theudericus autem posthaec in gratiam cum Zenone rediens, omnia ad mentem ejus agitabat: Con-*  
 E 2 *sules*

y) Lib. III. ep. 5.

z) p. 512.

a) Cassiod. Variar. Lib. I. ep. 42.

b) Lib. I. ep. 44.

c) Lib. VIII. ep. 1.

d) Lib. II. ep. 1.

e) In Zenone p. 95.

*sules etiam ipse Constantinopolitanos, & praefectos praetorio designans, a Zenone Imperatore iridem magistratum suorum primariorum omnium codicillos, Consulum etiam scipiones, indicatis prius, quos ad dignitatem ullam profectos ipse vellet, accepit.* In his verbis, quae de constitutis a Theoderico orientis magistratibus tradit, a vero aliena esse censeo. Sed ut ad Procopium redeamus, Gothicos oratores supplices favorem sibi Imperatoris conciliare, seque Numini majestatique ejus devotos esse, his eminentis testari blanditiis volebant: cum caeteroquin, quae de electione Consulum proferunt, aequae falsa sint, ac, quod in sequentibus jactant, nullas leges, a Theoderico latas, sed pristinis uti, Romanis eum concessisse, cum Edictum Theoderici ad nostra tempora pervenerit.

## IV.

*De Ecclesiasticis Diptychis. Ipsi sanctorum & Episcoporum nomina inscripta sunt. Rambonense Diptychum. A Montfauconii sententia dissectum. Diptychi Ecclesiastici fragmentum producitur. De eburneis sacrorum Codicum ornamentis. Notitia Evangeliarum antiqui Bibliothecae Lipsiensis.*

Plerisque Consularibus Diptychis contigit, ut, a profano usu ad ecclesiasticum translata, inter sacra vasa summa cura servarentur: forte, quod pro eorum temporum ingenio satis egregie & affabre elaborata essent. Hoc eruditi ex Actis Concilii Mopsu-  
steni, anno  $\overline{\text{DL}}$ . celebrati, docuerunt<sup>f</sup>: *Joannes Presbyter & cimeteriarca dixit: secundum iustionem vestrae sanctitatis, inter sacra vasa, quae a me servantur, habens ista Diptycha, protuli, & ad recitationem porrigo.* Hinc illud PHILOXENI Compendiensi ecclesiae a Carolo Calvo, Imperatore, ANASTASII Bituricensi a Chlodovei liberis, ut vero simile est, dono datum fuit. In eburneis illis  
tabulis

f) Wilthem. in Dipt. Leod. cap. VII. g) Mabillon. Ann. Bened. T. III. pag. p. 29.



tabulis, praeter sanctorum & episcoporum nomina, inter missae sacra recitanda, Conciliorum memoria exstabat <sup>b</sup>: additis membranarum foliis, si angustum spatium omnia capere non poterat. Locum, quo ille ritus egregie declaratur, apud Fulcuinum de *Gestis Abbatum Lobienſium* <sup>i</sup> observavi: *Dixit Adalbero, Archiepiscopus Rhemenſis, praedeceſſorum ſuorum ductam uſque ad ſe conſuetudinem, ut inter miſſarum ſolennia in ea ſpeciali commemoratione deſunctorum, quae ſupra Diptycha dicitur, cotidie in aurem preſbyteri recitante ſilenter ſubdiacono, omnium ipſius ſedis nomina ſcripto viritim recitenur Episcoporum.* Hinc partem canonis, quam vulgo *offerentes* vocant, cum Bituricenſium ac Leodiienſium praefulum nominibus, in ANASTASII Conf. Diptycho contineri, Wilthemius teſtatur: hinc in Brixiano S. S. Hieronymi, Auguſtini, Gregorii effigies, praeter alias ſacras picturas & ſolennem illam precum pro deſunctis oblationem, conſpicimus; quae in Norico Graece exarantur, quod ſermone illo eccleſiae, ad quam olim pertinuit, ſacra peragerentur. Neque membranis modo, operculo, ut Eminentiſſimus Noriſius conijcit <sup>k</sup>, eburneo tectis, ſed ipſi ebori veneranda Sanctorum nomina inſcripta fuerunt.

Ad harum tabularum imitationem ſingularia Diptycha eccleſiae nonnullae caelanda curarunt, ut ex Amalarico diſcimus, qui in opere *de eccleſiaſticis officiis*, tabulas, quas cantor in manu tenebat, de oſſe fieri ſolitas, teſtatur. <sup>l</sup> Varius eorum uſus erat. Nam aut vivorum & mortuorum, ſanctitate & beneficiis in ſacras aedes inelytorum nomina, ut ſupra memini, praeferebant, aut in aris, ut hodie pietae tabulae, quae aperiri claudique poſſunt, ornamentis ac memoriae cauſa collocabantur <sup>m</sup>. Ex horum genere eſt Ram-

E 3

bonenſis

h) Cf. Salig de Diptychis.

i) Dacher. Spicileg. T. II. p. 733.

k) Diſſert. de Synodo V. c. 5. p. 36.

l) Lib. III. cap. 16.

m) Buonarotta ſopra tre Diſſetti d' Avorio. p. 275.

bonensis monasterii Diptychum, doctissimis ill. Buonarottae commentariis explicatum, cujus altera facies Servatorem, cruci affixum, inter solis & lunae planctus, adstante B. Matre & Johanne, ac in superiore parte, patre creatore exhibet: infra crucem Romulus & Remus, a lupa nutriti, conspiciuntur. Similem effigiem ex vetusto Ottfridi Codice bibliothecae Vindobonensis Lambecius edidit<sup>n</sup>. Quod autem Montfauconius<sup>o</sup> ventri Servatoris oculum insculptum, eoque nescio quid miraculi significari censeat, in eo doctissimum virum fefellit opinio. Non enim oculus est, sed umbilicus, ab imperito sculptore, rudi manu, ut caetera, expressus. In altera Diptychi parte, S. Dei mater & Gregorius, Sylvester, ac Flavianus, quorum in honorem ab Ageltruda, Guidonis Imperatoris conjuge, monasterium exstructum fuit, apparent. De ejusmodi tabulis, ni fallor, capiendus quoque est Joh. de Bayono in *Historia Monasterii Mediani* \*: *Lambertus*, inquit, (A. MXXXIX.) *Abbas fieri curavit tabulas duas de ebore, auro ornatas.*

Sed aliud jam lectori, sacrae antiquitatis studioso, Diptychi Ecclesiastici fragmentum, ex museo hujus urbis publico deprocuratum, sistimus. In eo S. Michael, Princeps angelorum, erectum ad coelum caput tollens, & draconem lancea perfodiens, cernitur: in superiori tabulae deperditae parte forte Servator, in coelo sedens, ut in opere musivo Ravennatensis<sup>p</sup> ecclesiae expressus fuit. Scutum imprimis, quale & in Antonini columna occurrit, tum nimbus, ei, qui in Leodiensi Diptycho ANASTASII Consulis caput ambit, plane similis, observari merentur. In alia pictura veteri Menologii Graeci, jussu Eminentiss. Cardinalis Albani excusi, S. Michael labarum, quasi reportata jam a generis humani hoste  
victoria

n) Comment. de Biblioth. Vindob. Lib.

II. p. 432.

o) Antiqu. Expl. Suppl. T. III. pag. 230.

\*) Cap. XLIX. MS.

p) Ciampini Vet. Monum. T. II. Tab.

VI. p. 63.



DIPTYCHI ECCLESIASTICI  
FRAGMENTVM

*In Bibliotheca Senatus Lipsiensis.*





DIPTYCHI ECCLESIASTICI  
FRAGMENTVM  
*In Bibliotheca Senatus Lipsiensis.*





victoria, gestat <sup>q</sup>. Ad quam autem ecclesiam Diptychum olim pertinuerit, ignoro. In averfo enim latere hae tantum litterae apparent:

# SSIPHOBSEVER

quas interpretor: SANCTI PHOEBVS SEVERVS. Ii autem, qui fuerint, ubi culti sint, mihi, diu multumque de eo cogitanti, non liquet. Occurrit quidem inter sanctos Dei confessores, quorum in martyrologiis memoria servatur, SEVERVS Ravennae Episcopus, d. i. Februarii, alius Barcinonensis & martyr, d. vi. Novembris, ut caeteros omittam. PHOEBI autem nomen in iis frustra quaesivi. Quare, qui hic designentur, aliis divinandum relinquo.

Exstat in eodem museo aliud Christianae pietatis monumentum, beatae scilicet Virginis, Servatorem infantem, & sacrum volumen manu tenentem, brachio gestantis effigies, tabellae eburnae insculpta: quam, tum quod Wilthemius similes ad Diptycha retulerit, tum quod supra de volumine sacro, a Christo & Apostolis gestato, animadversa illustret, hic commemorandam putavi. Affixa est fronti evangeliorum, remotae antiquitatis, in membranis descriptorum, suntque ejus codicis paginae nonnullae purpureae, aureis litteris majusculis exaratae. Iam Hieronymi aetate consuetudinem viguisse, ut integri libri ita describerentur, ex ejus in Jobum praefatione apparet: *Habeant, inquit, qui volunt, veteres libros, vel in membranis purpureis, auro argentoque descriptos, vel uncialibus, ut vulgo ajunt, litteris, onera magis exarata, quam codices: in quo*

q) Ad d. 8. Novemb. pag. 174.

quo loco pro *uncialibus*, *initialibus* David Caslejus legere mavult. <sup>r</sup> Hujus moris, licet postea defecerit, cum tantis sumptibus ditiores modo pares essent ferendis, in antiquis evangeliis quaedam adhuc vestigia deprehendimus. Praeter nostrum enim, in Regis Angliae bibliotheca, codex adservatur, cujus folia nonnulla purpurea tincta, aureis litteris splendent, similis in Cottoniana, is scilicet, cui Saxonum Reges, ab Athelstani aetate, in coronatione sacramentum solenne dicentes, digitos imponebant <sup>t</sup>. Quid? quod Hieronymus *aurei & pellis Babylonicae vermiculatam picturam* jam suis temporibus Christianis placuisse scribat <sup>s</sup>. Mos etiam sacerorum evangeliorum, eorum inprimis, quae in sacro altari reponerentur, tegumenta gemmis distinguere, admodum antiquus est. Ita Ratpertus <sup>u</sup>, Hartmotum, monasterii S. Galli sec. IX. Abbatem, *lectiones evangelii* auro, argento & lapidibus pretiosis instruxisse, testatur, & jam ab ultima Francorum aetate, in vetustis cathedralibus ecclesiis & coenobiis, rituales codices eburneis tabulis, gemmis & argento affabre ornari consuevisse, eruditi observarunt <sup>x</sup>. Hos in sacris processionibus publice praeferre sacerdotes solebant, quem ritum alibi ex Leone Ostiensi exponam. Ex eorum numero est, tum Vaticanus, Christum binosque angelos ei assistentes, in ima vero parte Magos, dona ipsi offerentes, exhibens, cujus notitia Eminentiss. *QVIRINO* debetur <sup>y</sup>, tum Vefontionensis, qui in simili tabella Romanum, Byzantinum Imperatorem, cum Eudocia conjuge insculptum praefert <sup>z</sup>.

r) Casley Catalogue of the MSS. of the Kings Library. Martianacus ad h. l.

s) Casley loc. cit.

t) Epist. VII. ad Laetam.

u) De Casibus monaster. S. Galli: apud Goldast. p. 31.

x) Brower. ad Venant. p. 231.

y) Epist. ad Bozium p. 24.


z) Apud Ducangium Fam. Byz. p. 162.



SECTIO TERTIA.  
DE DIPTYCHO  
EMINENTISS. CARDINALIS QVIRINI.

\* \* \* \* \*

*Notitia ejus. Varia Academiae Gallicae & Eruditorum Italiae  
judicia de eo perpenduntur. Ad Consularia aut Amantium dipty-  
cha non videtur referendum esse. Nonnulla de tunicae & pallii  
antiqui forma. Forte renatis demum artibus tabulae illae elabo-  
ratae sunt. Sculptores eorum temporum eximii recensentur.  
Paulum II. P. M. elegantiorum artium statorem fuisse, ex ejus  
numis ostenditur.*

enio nunc ad id, cujus praecipue causa hanc dissertationem  
institui, & de eburneis tabulis Eminentiss. QVIRINI me-  
am qualemcunque sententiam dicere, aggredior. Duo in iis aman-  
tium paria videmus. In altera enim facie juvenis formosus, nu-  
dus, capillis crispis, dextra hastam longam, sinistra pugillares, aut  
aliquid simile, tenens, & leniter arridens, caput ad puellam ele-  
gantis formae, laevo brachio columnae innixam, desleat: advo-  
lante genio cum arcu remisso & face accensa. In altera parte ju-  
venis tenui vestitu, capite operto, dextra hastam gerens, laevam  
scuto admovens, cernitur, cujus labia puella, ore totoque habitu  
ad venustatem & elegantiam composito, leviter contingit: in  
medio genius nuptialis cum fertis, quasi utriusque capiti ea impo-  
siturus. Idem puellae & juveni amictus, tantum ad genua usque  
pertingens, hoc discrimine, quod foemina cingulum sub pectore,  
& chlamydem a tergo profluentem, fibula in dextro humero con-  
nexam, gestet. In utriusque tabellae parte superiori insignia fa-  
miliae Barborum, in corona lemniscata, utrinque expressa sunt,  
in aereo autem tegumento versus sequentes, qui anaglyphum  
F hoc

hoc ad PETRVM BARBVM, tum Vicentinum Episcopum, postea Pontificem Maximum, PAVLI III. nomine, pertinuisse, testantur, existant:

PETRVS. HERVS. MEVS. EST. VENETIS. GENEROSVS, ALVMNVS. BARBVS. CARDO. SACER. TVVS. ET. VINCENTIA. PRAESVL. HORVM. OPERVM. INGENIIS. MIRO. OBLECTATVS. AMORE.

Quid figurae illae referant, consulti ab Eminentiss. QUIRINO eruditi varie conjecerunt. Academiae Gallicae nomine elegantissimus BOZIVS<sup>b</sup>, arduum esse, quinam hic a sculptore expressi sint, indicare, quod neque inscriptio adsit, & figurae omnibus aliis, haecenus ex vetustatis reliquiis erutis, plane dissimiles sint, respondit. Cl. GORIO placuit<sup>c</sup>, Venerem & Adonidem in una, in altera tabula aut Meleagrum cum Atalanta, aut Lunam & Endymionem insculptum, datumque forte diptychum esse a Commodi Imperatore in ludis venaticis. Illustris Marchio MAFFEVS<sup>d</sup> in utraque ejus parte Attinem & Cybelem, illum quidem membro exsecto, repraesentari, exemplo tamen carere, quod Dea stans omnibus symbolis suis destituta sit, arbitratur: ipsum opus non a Graeco sed Romano artifice elaboratum, ex columnarum forma conjicit. Cl. MVRATORIO advolantes genii sponsalia quaedam designare videntur.<sup>e</sup> JOANNES denique FRANCISCVS BALDINVS, in una tabula Meleagrum & Atalantam, in altera Paridem & Helenam, Honorii nuptias cum Maria primum, deinde cum Thermantia, indicantes agnoscit<sup>f</sup>.

Ex tanto summorum virorum dissensu, quam difficile sit, quae hic lateant, divinatione assequi, manifestum est, & in doctissimis eorum conjecturis nonnulla, quae dubitationi ansam praebent,

- b) Eminent. Quirini Epist. ad Cl. Boze. d) pag. II.  
 pag. 6. e) pag. 14.  
 c) pag. 8. f) pag. 16.

bent, deprehendi. Lunae enim & Endymionis amores aliter vetus Musei Justiniani tabula <sup>g</sup>, ab egregio artifice facta, exhibet: aliter quoque Liceti gemma <sup>h</sup>, ubi illa velum supra caput ambabus manibus extensum tenet, crescentemque in fronte lunam gestat. Attini quoque non tam habitus, qua conspicitur, non hasta, non scutum, quam tympanum & fistula: Cybelae, pro illo capitis ornamento, coronâ turrata, leones, frugum copia, convenire videntur. Consulatur doctissimus Pignorii ad vetera monumenta Tornaci eruta commentarius <sup>i</sup>.

Profecto id mihi non sumo, ut inter viros, qui hodie litterarum principatum gerunt, iudex sedeam: exploratissimum tamen habeo, eburneas illas tabulas Consulare Diptychum non esse. Ex iis enim, quae Wilthemius aliique observarunt, & nos in superioribus attigimus, in parte Diptychorum exteriori Consulibus effigiem, nomina, titulos, insculptos, interiorem vacuum, & cum ad ecclesiae usum transfiret, sanctorum demum memoriae dicatam esse constat. Ita autem disponi haec solebant, ut una tabula nomina, dignitates altera contineret; quare cl. BALDINI opinio, amissam esse partem, quae Honorii nomen praeferebat, hoc ipso refellitur. Deinde nuptias suas veterum heroum amoribus in Diptychis, Senatui aut amicis offerendis, adumbrare, vercor, ne sua indignum majestate Imperator judicasset. Pariter eburneas tabulas, a Commodio, venationis studioso, in solemnibus ludis, cum caeteris missilibus in vulgus sparsas, vetera monumenta, non indiligenter a me consultata, ignorant. Ad Amantium autem Diptycha quod ILLUSTRIS ACADEMIA GALLICA censet, minime omnium pertinent, cum veteres inscriptos tantae magnitudinis pugillari-

F 2

g) Galleria Giustiniana.

h) Pag. 219.

i) De Magnae Matris Ideae & Attidis  
initis.

gillaribus amores puellis misisse, a veri specie abhorreat. Inter dolos enim ac furtiva amantium commercia eos Ovidius recenset <sup>k</sup>:

*Certa vadum tentet rasis infusa tabellis*

*Cera, tuae primum nuntia mentis ear.*

Ceras illas exiguas fuisse, ex alio loco concludi potest <sup>l</sup>:

*Conscia cum possit scriptas portare tabellas,*

*Quas regat in lepido fascia lata sinu.*

Has igitur tabulas nihil cum veterum diptychis commune habere, sed ad eam potius aetatem, qua renascentes artes PAVLVS II. P. M. praesidio suo fovebat, referri debere, arbitror. Maxime autem cl. BALDINI opinio, duo celeberrima in omni antiquitate amantium paria, Meleagrum & Atalantam, Paridem & Helenam, a sculptore efficta esse, mihi probatur, quod similem fere Meleagrum in vetere gemma <sup>m</sup> reperiam, quanquam saepius cum capite apri Calydonii occurrat. Eam conjecturam ut timidius proferam, magnorum virorum, qui ad tabulas illustrandas accesserunt, auctoritas facit: quae tanta apud me est, ut eorum vestigia premere, quam in alia omnia eundo, temeritatis notam incurrere maluissem. Vt vero ita statuam, habitu primum, quo juvenis & puella in altera tabula induti conspiciuntur, ab eo, quem signa statuaeque veteris aevi exhibent, plane diverso, inducor. Non enim tunica est, quam ubivis terrarum, Ferrario notante <sup>n</sup>, foeminae gerebant, quippe longa illa ac talaris, ut stola Romanorum, erat. Breviori, fateor, ancillae & mulieres quae-stum corporis facientes utebantur <sup>o</sup>: at ea quoque ad medium crus pertingebat, nec foeminae honestiori, qualem sine dubio sculptor exprimere voluit, ullo modo convenit. Neque hacc pallii anti-

qui

k) De arte amandi Lib. I. v. 437.

n) De re vestiar. Part. II. Lib. IV. c.

l) Lib. III. v. 621.

8. p. 150.

m) Maffei Gemme antiche T. IV. 19.

o) Loc. cit. cap. 9. p. 155.

qui forma est, quippe quod ad talos demissum fuisse <sup>p</sup>, veterum testimoniiis compertum habemus. Ex omni vestium genere proxime ad chlamydem accedit: at ea tunicae superinjecta, anteriorem corporis partem ad genua usque tegebat <sup>q</sup>. Vidit hoc MVRATORIVS, ut est, praeter caeteras laudes, in rerum antiquarum cognitione versatissimus, & vestitum hunc Romano dissimilem esse, observavit <sup>r</sup>.

Deinde sculptura, quod praestantissima ingenia, vetustorum operum imitatione, ad summorum artificum gloriam se extollere, & vivos de marmore vultus ducere, nitebantur, aequae ac pictura, maxima jam PAVLI II. temporibus incrementa ceperat. Praeclara hanc in rem apud Angelum Decembrium, qui Pio II. Pontifici summo, de Politia litteraria commentarios inscripsit, legere memini: *Alios & quidem paucos videas antiquitatis pictores aemulos, qui exquisitissimi omnem prius corporis staturam, quam effingere volunt, ita remetiuntur, ut membrum membro nullum propius longiusve consistat, quam ipsa naturae consuetudo: nec minus astute considerant, quas corporis partes contractiores, quas vero remissiores intronissas & quasi latentes esse deceat, ut stando, sedendo, recumbendo, postremo cuiusque corporis vera simulatione naturalis insit aptitudo: tum demum vestimentorum aliosque corporis habitus superducunt.* Inter principes statuarios ANTONIVS PVLLARIVS memoratur <sup>s</sup>, cuius erudita manu Herculis, Antaeum domantis, statuam, aeri incisam, habeo: in quo opere Philostrati & Libanii picturas ante oculos habuisse videtur. Hercules nervis intentis, & a lacertis pedibusque proflentibus, gigantem alte sublatum comprimit, ille torva facie

F 3

p) Loc. cit. p. 155. seq.

s) Lib. VI. pag. 506.

q) Ferrar. de re vestiar. P. II. L. III. c. 2.

r) Vasari Vite de' Pittori T. II. p. 468.

r) p. 15.

facie & hirsutis capillis horridus, contra nititur, & terram matrem, unde robur semper novum accipiebat, frustra petens, vix spiritum trahit. Additur inscriptio: DIVO HERCVLI INVICTO. ANDREAE MANTINEAE, pictoris Patavini, in quem praeclarum exstat Jani Pannonii, poëtae elegantissimi, elogium<sup>u</sup>:

*Nobilis ingenio est & nobilis arte vetustas,*

*Ingenio veteres vincis & arte viros.*

ejus, inquam, triumphos qui intuetur, vetera anaglypha quaedam, aere expressa, se contemplari putat. Cujus etiam Hercules in bivio, ad Prodicum mentem pictus, virtutis ac vitii monita atente perpendens, incertumque animum vultu prodens, exstat. Ita se ad veterum artificum exempla magni viri formarunt, quanquam, ut varia est humani indoles ingenii, non omnes pari successu. In eorum operibus plerumque corpora non solida sunt, non sanguinis & succi plena, sed gracilia, macilenta, strigosa: neque me aliquis, veram delineandi artem, ante Durerum, non satis cognitam fuisse, affirmantem, Germanis meis nimium tribuere arguet. Conferat mihi aliquis sacra Priapeja, quae per nocturnam quietem Poliphilus a se conspecta narrat<sup>x</sup>, cum marmorea tabula antiqua, a Boissardo memorata<sup>y</sup>, unde alteram illam expressam esse, observavi: deprehendet, non figuras solum rudiores, sed vestitum quoque ad mores seculi XV. (absoluta enim est Hypnerotomachia anno MCCCLXVII.) a recenti sculptore effictum, ita tamen, ut plurima imitationis vestigia supersint. Etiam in Emin. QVIRINI tabulis non satis perfectum consummatumque artificium deprehenditur: quo forte referendum est, quod Meleagrum membro abscisso, pudoris causa, sculptor expresserit, cujus modestiae exempla in operibus antiquis nulla reperimus. Recentiores vero,

ut

u) Eleg. XVI.

x) In Hypnerotomachia.

y) Antiquit. Roman. T. II.

z) Vasari T. II. p. 327.

ut a Decembrio <sup>z</sup> animadversum est, quae intuitu pudenda sunt, ita apte componere solebant, ut oculis non turpia essent, nec a naturali pulchritudine longius abscederent.

Praecessit hos aetate DONATVS ille Florentinus, cujus signa adeo ad veterum exemplum dicuntur elaborata fuisse <sup>a</sup>, ut, nisi a peritissimis, dignosci non potuerint. Is enim, ut antiquorum operum gratiam & dignitatem suis addere disceret, Romam se contulit, pauca illa, quae tum eruta erant, (longe plurima enim adhuc neglecta sub terra latebant) contemplaturus, & redux Florentiam factus COSMO MEDICEO, artium ac litterarum statori, ea ab interitu vindicare, persuasit. Alebatur hujus aemulatione VILLANI Patavini ingenium, quem, Vasarus scribit <sup>b</sup>, signa statuasque minoris moduli, ex aere & marmore, PAVLO II. Pontifici obtulisse, sua tamen aetate, quo pervenerint, neminem indicare potuisse. Erat in eo Pontifice ingenuarum humanarumque artium amor eximius, magna immortalitatis cupido, quam cum monumenta publica certissime praestare possint, operam, ut ea veterum more & imitatione fierent, dedit. Antiquorum in primis studiosissimus numorum fuit, teste Michaele Canensio, in vita ejus, ab Eminentiss. QVIRINO edita <sup>c</sup>: *omnium quidem vetustatum exactissimus perscrutator fuit, atque aureas Caesarum imagines alteriusque metalli, in ipsis numismatibus tam probe dignovit, ut primo aspectu illico Caesaris nomen exprimeret.* Atque hinc, opinor, factum est, ut, quos ipse signari iussit, praestantissimi sint, & proxime ad veteres accedant. Quis enim, qui pulchrum illum <sup>d</sup>, cui Lactitia, palmam dextra, cornucopiae sinistra gerens, additis verbis:

z) Loc. cit. p. 508.

a) Vasari T. II. p. 327.


b) Loc. cit. p. 383.

c) Pag. 31.

d) Bonanni Numism. Summ. Pontific. T. I. p. 83. f.

( XLVIII. )

verbis: HILARITAS PVBLICA, inculpta est, aut insignia Pontificis in corona oleagina, ob pacem & quietem partam, cum illa magnifica inscriptione: PACIS FVNDATORI, intuetur, non Marci Aurelii se, aut Septimii Severi numos versare, putat? Aut cui non epulae publicae & sacrae Principum largitiones, dum in alio Cornua copiae juncta, CONVIVIVM PVBLICVM ERGA POPVLVM ROMANVM indicantia, contemplatur, in mentem veniunt? Certe quo crebrius haec apud animum perpendo, eo magis me in ea opinione confirmari sentio, tabulas eburneas illas, cum non tam ad Graeca & Romana anaglypha, multo minus ad Consulium Diptycha, quam ad recentioris aetatis, qua cum litterarum studiiis artes renatae sunt, opera, & forma & artificio accedant, ab egregio quodam sculptore Italo seculo XV. elaboratas esse, omnes tamen verae elegantiae studiosos Eminentissimo Purpurato, quod eas ab interitu & oblivione vindicatas, in Vaticana, quasi Phidiae Minervam in arce, collocaverit, laudes maximas, amplissimas, debere.



CONSPÉ-



( XLIX. )

# CONSPECTVS.

## SECTIO PRIMA.

### ANALECTA DE DIPTYCHIS CON- SVLARIBVS.

#### I.

*Varia vocis acceptio. Δίπτυχα ποιῆν in Sacris. Δίπτυχον Vestis  
genus: Pugillares, anno ineunte inter strenas missi. Consularia Di-  
ptycha, quae haecenus innotuerunt.*

#### II.

*De Veste Consulari. Fuit eadem, quae triumphantium. Ipsam  
Consularem processionem triumphum posteriori aetate dictam esse, scri-  
ptorum testimoniis ostenditur. Consularis amictus Trabea vocatur &  
Abolla. Salmasius contra Ferrarium defensus. Fascia Consularis,  
Lorum dicta a Scripioribus Byzantinis. An Chlamys Consulium a  
trabea distinguenda sit? disquiritur, & de Chlodovei, Francorum Re-  
gis, Consulatu nonnulla obiter adduntur. De Volumine, Mappa, &  
Acacia, Coss. insignibus. Num inter ornamenta eorum Nimbus refe-  
rendus? De Calceis Coss.*

#### III.

*Locus ex CONSTANTINI PORPHYROGENITI opere de Cere-  
moniis Aulae Byzantinae inedito erutus, quo ea, quae de Consulium  
ornamentis allata sunt, uberius declarantur.*

#### IV.

*Consulium ornamenta eorum uxoribus, forte etiam filiis, concessa.  
Lorum Patritiae Zoftes. In Compendiensi Diptycho non uxor Consu-  
lis,*

G

( L. )

*lis, sed Romae effigies exhibetur. Quae etiam in Parisiensi expressa est. Parerga Diptychorum. Insignia quaedam Comitis Sacrarum Largitionum, & Rerum Privatarum, aliter quam a Pancirollo factum, explicantur. Nonnulla de Ludis Consulium & de Thymelicis. De Consulium Apparitoribus, in Asterii Diptycho occurrentibus.*

V.

*Processio Consulium e Palatio instituebatur. De forma Sellae Curulis, aetate Cassiodori, contra Schefferum disputatur. Codini & Anonymi de Antiquitatibus CSP. versio tentatur. Codicillos Consulium cum Diptychis a Jacobo Gothofredo & Bandurio confundi, ostenditur.*

## SECTIO SECVNDA.

### DE BRIXIANO BOETII COS. ET DE ECCLESIASTICIS DIPTYCHIS.

I.

*Inscriptio Diptychi Brixiani. Eminentissimi Quirini & Phil. a Turre in eam observationes. Novae conjecturae proponuntur. Tituli Boetii & dignitates illustrantur. Quo ordine officia, cadente imperio, collata sint? disquiritur. Praefectura urbana a Boetio gesta. Locus ejus in Consolatione aliter, quam a Cujacio, exponitur.*

II.

*De Consulatu Boetii. Nomen illud ter in Fastis occurrit. Sirmonti & Pagii sententiae referuntur. Ex anno, quo Boetius philosophus occisus est, ostenditur, ipsum A. 487. Consullem non fuisse. Fasti A. 488. emendantur. Primus Philosophi Consulatus in A. 510, secundus*

( LI. )

*secundus in A. 522. incidit. Sirmondi sententia perpenditur. Exempla Consulium, vix e pueris egressorum.*

III.

*Vtrum ab Imperatoribus, an a Gothorum Regibus Occidentis Consules creati sint? disquiritur. Valesii & Pagii sententia sub examen vocatur. Procopii & Cassiodori loca illustrantur.*

IV.

*De Ecclesiasticis Diptychis. Iphis Sanctorum & Episcoporum nomina inscripta sunt. Rambonense Diptychum. A Montfauconii opinione discessum. Diptychi Ecclesiastici fragmentum producit. De eburneis sacrorum librorum ornamentis. Notitia antiqui Evangeliarum bibliothecae Lipsiensis.*

SECTIO TERTIA.

DE DIPTYCHO

EMINENTISS. CARDINALIS QVIRINI.

*Ejus notitia. Varia Academiae Gallicae, & Eruditorum Italiae iudicia de eo perpenduntur. Ad Consularia aut Amantium Diptycha referendum non videtur. Nonnulla de forma tunicae & pallii antiqui. Renatis demum artibus elaboratum fuisse, conjicitur. Animadversa de pictura & sculptura his temporibus restituta, & de sculptoribus eximis ac praestantissimis. PAVLVM II. P. M. elegantiorum artium statorem fuisse, ex numis ejus ostenditur.*





EB 3449


VD 18


ULB Halle 3  
002 406 454



56







DE  
DIPTYCHIS VETERVM,  
ET DE  
DIPTYCHO  
EMINENTISSIMI QVIRINI,  
S. R. E. CARDINALIS, BIBLIOTHECARIJ APOSTOLICI,  
EPISCOPI BRIXIENSIS,  
DIATRIBE.

---

LIPSIÆ,  
APVD JOH. FRID. GLEDITSCHIVM.  
A. dō MCC XLIII.

